Clemens

CLEMENTIS SCHRADER S. J.

DE

UNITATE ROMANA

COMMENTARIUS.

LIBER I. διδακτικός.

FRIBURGI BRISGOVIAE.
SUMTIBUS HERDER.
MDCCCLXII.

34533

Typis Herderianis Friburgi Brisgoviae.

Facultas R. P. Provincialis Societatis Jesu in Provincia Austriae.

Ego infra scriptus per Provinciam Austriae Societatis Jesu Praepositus Provincialis, potestate ad id mihi facta ab admodum Reverendo Patre Nostro Petro Beckx, Praeposito Generali, Facultatem concedo, ut liber, cui titulus: *De unitate Romana Commentarius a P. Clemente Schrader*, nostrae Societatis Sacerdote, conscriptus, et a Revisoribus ejusdem Societatis lectus et approbatus, typis mandetur. In quorum fidem has litteras manu mea subscriptas, et officii mei sigillo munitas dedi.

Lincii die 18. Junii 1862.

L. S. ***Georgius Patiss S. J.***

SEDI SAPIENTIAE

VIRGINI MATRI

AB ORTU PRIMO DEI FILIAE

PATRONAE CLEMENTISSIMAE

CLEMENS SCHRADER

SODALIS E SOCIETATE JESU

SUORUM FRUCTUS LABORUM

DEDICABAT.

PROLOGUS.

1. Veteri proverbio est prohibitum, post Homerum Iliadem scribere atque in silvam ligna conferre.

Sed quid frequentius ac prolixius, accuratius diligentiusque disputatum est, quam quidquid ad rationem auctoritatemque romani Pontificis attinet? Post Bellarminos [1], post Bianchios [2], Ballerinios [3], Muzzarellios [4], Zacharias [5] totque alia [6] illustria nomina: quid ad rem novi afferri, quid de ea frugi melioris dici, quid exponi dilucidius, probari firmius et majori doctrinae eruditionisque splendore stabiliri poterit? *Argumenti ratio.*

2. Hieremias a Benettis clarum ordinis Capuccinorum lumen, quum „instarent [7] viri docti insisterentque, ut publici opus iuris faceret,„ quod post priores etiam tractatores absque summa utilitate nemo qui sapit manu volverit, pressus „censura insussurantis ipsi cuiusdam *νεοσόφου*, siquidem a tot tantisque claris scriptoribus provincia ista praeoccupata iam sit, multorumque manu res *A Benettis.*

[1] De rom. pontif. II. 5.
[2] Bianchi della potestá e della polizia della chiesa.
[3] De vi ac ratione primatus.
[4] In opusculis theolog.
[5] Antifebronius.
[6] Vide sis Georg. Phillips iur. eccles. tom. I. p. I. I. 1.
[7] Ita ipse in praefatione operis: Privilegiorum in persona sancti Petri romano Pontifici a Christo Domino collatorum vindiciae p. I. t. I. praefat. p. XVII.

multumque versata et reversata, quid tu ex promiscua infimaque litteratorum hominum plebe rem actam agere, atque, velut aiunt, labore supervacaneo lapides in acervum congerere adgrederis?„ non unam sed variam ac multiplicem collocatae a se operae rationem adducit, quam equidem pro omnibus quibus constat partibus, iis solum demptis quae insignis viri meritis innituntur, citra omnem immodestiae causam mihi vindicare meamque facere eo minus vereor, quod diversitas adiunctorum valorem illi non detraxerit, sed potius adjecerit.

Scribendi causae.

3. Quodsi enim „acceptum [1] a seraphico sui instituti patriarcha mandatum de summo Pontifice summisse colendo ipsiusque honori impense studendo„ movere illum valuit; non minori equidem officio obstringor, sed ex instituto Patris mei vel ipso voti sacramento me Christi Vicario sempiternum obligavi. Neque alia modo ac tum „argumenti gravitas eiusdemque digne pertractandi difficultas, adeo ut laudabile obtingat et optabile, multos ad id operis experiri, multam locari operam multasque ingredi vias, ut, si superis placet, tandem multam post operam multorumque ope perficiatur.„ Verum alia omnino, sed immensum prope aucta „ea [2] iam est ingeniorum aetatis improbae nostrae intemperies, effraenisque in licentiam omnem effusa libertas, ut sibi per fas et nefas de re quantacumque vel sanctiore vel ad religionem spectante intendendi litem et iniiciendi suspicionem arrogent facultatem, (quodque pessimi facinoris genus est) ita frequenter et iccirco faciant, ut disruptis quibus cohiberi impatientissime ferunt, legum fraenis, quae emergentibus quotidie opinionibus disciplinae quam morum absonis, tam temporum accommodis, iniici a Pontificibus summis solent, habenas laxare eoque impetu ferri et prorumpere quo velint, impune possint. Indicio sane evidentissimo sunt librorum ac libel-

[1] Ibidem p XVIII.
[2] Ibidem pp. XIII sq.

lorum ingentes fasces quotidie in publicum erumpentes, quam ex ingeniorum tristitia et libidine excogitati et conficti ad iniuriam pontificiae dignitati inferendam divinisque ipsius privilegiis conflandam invidiam, tam ex industria atque proposito ad conciliandum opinionibus laxis profligatisque saporem et scalpuriginem elaborati et instructi. Eo tandem maxime, quod ad causae afflictae cumulum eidem clivo incumbentes heterodoxi non modo, sed ex orthodoxis iam multi eorumque imo non pauci, qui ceteroqui s. romanae ecclesiae filiorum singulari se haberi nomine et honore gloriantur et gestiunt, nescio quo aestu perciti si is non sit, qui *συκοφαντῶν* proprius, impudentiae hoc est humana et divina velitandi et vellicandi exertis viribus nervoque intento Pontificum iura impetant, atque prout valent oppugnent:„ neque satis, (hoc mihi iuste addere licet) sed ulterius progressi id iam quantum quidem ex ipsis est attentant, ut summo clavigero carne prope et ossibus spoliato animam quoque tollant, vitalem inquam in domo Dei quam totam moderatur ac regit vim, cuius expedita efficacique explicatione Christi corpus continetur conservaturque, crescit, augetur atque perficitur.

4. Itaque „cur (sic rursum [1] ille) in crimen vocor, quod pro viribus quibus valeo totus etsi tantillus erecta in adversum fronte offendam, in partem optimam pugnem contra qui moliuntur amovere lapidem, cui ecclesia universa est innixa, manum attollam meam, utque per me loco subsistat, ut possum, adnitar, atque quidem eadem quotidie reponentibus eadem quoque ego ex adverso reponam?„ Videlicet haec animum addebant, ut tractata frequenter pro facultate retractare susciperem. Nihil enim quod novum sit in medium proferendum, sed „docebo [2] quod didici non a me ipso, id est a praesumptione, pessimo praeceptore, sed ab *Antiquitas.*

[1] Ibidem p. XVIII.
[2] Hieron. in epitaph. Paulae.

illustribus ecclesiae viris.„ Quod accepimus, quod praedicatum quodque antiquum est, id secundum Apostolos [1], secundum Irenaeum [2] ac Tertullianum [3] est catholicum et verum. Hinc antiqua Stephani [4] lege cautum est: „Nihil innovetur nisi quod traditum est.„

Novitas. 5. Haud ignoro equidem, opposita illis huius temporis studia cuncta, quibus progressus omnis non a iusta veterum continuatione, sed ab iniqua eorum destructione captatur. Et captatur quidem, ac si hominum rerumque natura et ordo in se iam alius prorsus foret ac immutatus plane ab eo qui erat, neque eaedem amplius leges germanis suis explicationibus praeessent, pristinis moribus, usibus, methodis, normis inversis eversisque omnibus in universa humana vita tam familiari quam sociali, tam civili quam religiosa cum instituenda tum excolenda exornandaque. Hinc in ordine *θεωρητικῷ* ac intellectuali alia penitus speculandi principia, unde novae *θεωρίαι* novaque systemata: alia in ordine *πρακτικῷ* ac morali *τοῦ καλοκἀγαθοῦ* fundamenta, unde nova morum honestas novumque ius et nova iustitia: — et in ordine *ὀντολογικῷ* ac reali? Is ut primum esset ac porro exsistat neque pendebat neque pendet a secundis humanis licet causis: quare tangere quidem vix aut ne vix quidem semper extremitates rerum, superficiaria opera exstruere vel convellere homines possunt, verum adiicere [5] ad staturam suam cubitum unum, exsistentium substantiarum vim rationemque sive immutare sive delere, ordinatumque illarum cursum vel impedire vel perturbare non valent: quid igitur? Cogitando saltem disputandoque antiquum de rerum originibus *δόγμα* deserere desertumque pessumdare: diversos rerum ordines miscere invicem, discretionem eorum interturbare, ipsamque adeo entium sus deque

[1] Paulus I. Cor. XI. 23. Johannes I. ep. 1 sqq.
[2] Adv. haer. l. III. cc. 2 sqq. l. IV. c. 33. l. V. c. 20
[3] De praescriptt. cc. 13—21.
[4] Decret. con. rebapt.
[5] Matth. VI. 27. Luc. XII. 25.

vertere secundum rata genera fixasque species naturam: e sempiterno videlicet nescio quo *βύθῳ*, ex obducta quadam perpetuis veluti tenebris substantia, qua conclusa involutaque omnia delitescebant, amplioribus iugiter continuisque progressionibus evoluta per gradus in lucem prodiere ac prodeunt singula, „ex invisibilibus nimirum (!) visibilia,„ e tenebris lux, ex infimis summa, ex imis suprema. Haec est nova mundi fabrica, haec nova et suis digna architectis universitatis constructio, in qua sicut hominum genus ultimum occupat fastigium, ita suum stabilitatis fundamentum, ortus sui dignitatem, radicis suaeque potestatis nobilitatem non ab alto repetit, verum ex istius profunditate abyssi, e qua per tenebras nebulasque necessaria explicationis lege sursum erumpit: quae autem inde consectaria in vitam omnem humanam descendant, in privatam ac publicam, civilem ac religiosam qui valent persentiscunt.

6. Atque haec sunt novitatum quaedam monstra, quibus quidquid ratione aeque ac revelatione ab antiquo ratum erat et fixum, non in discrimen tantum adducitur, sed aperta fronte funditus evertitur. Evertitur antiquum illud Jacobi [1] oraculum, vi cuius tenendum, quidquid boni datur et quidquid perfectionis exsistit, id non de imis esse, sed sua desursum primordia ducere „descendens a Patre luminum, apud quem non est transmutatio ac vicissitudinis obumbratio.„ Evertitur *δόγμα* Pauli, per quem [2] mutabilis haec substantia, quae coelis continetur et terra, ab omnipotente factore procreata fuit eodemque immutabili Domino, qui dum fluxa illa veterascunt nutuque suo transeunt idem ipse semper *Effectus.*

---

[1] I. 17. *Πᾶσα δόσις ἀγαθὴ καὶ πᾶν δώρημα τέλειον ἄνωθέν ἐστι καταβαῖνον ἀπὸ τοῦ πατρὸς τῶν φώτων παρ' ᾧ οὐκ ἔνι παραλλαγὴ ἢ τροπῆς ἀποσκίασμα.*

[2] Hebr. I. 10 sqq. *Σὺ κατ' ἀρχὰς* (coll. Gen. I. 1.), *κύριε, τὴν γῆν ἐθεμελίωσας καὶ ἔργα τῶν χειρῶν σου εἰσὶν οἱ οὐρανοί* (iuxta Ps. c. I. 26.). *αὐτοὶ ἀπολοῦνται, σὺ δὲ διαμενεῖς. Καὶ πάντες ὡς ἱμάτιον παλαιωθήσονται καὶ ὡσεὶ περιβόλαιον ἑλίξεις αὐτοὺς καὶ ἀλλαγήσονται· σὺ δὲ ὁ αὐτὸς εἶ, καὶ τὰ ἔτη σου οὐκ ἐκλείψονται.*

permanet immortalis Deus atque aeternus. Et illud evertitur eiusdem gentium doctoris mandatum quo [1] praecipit, „devitandas esse profanas vocum novitates et oppositiones falsi nominis scientiae, quam quidam promittentes circa fidem exciderunt.„ Is nimirum genuinus est novitatum foetus, fructus et finis, ut deseratur ocius tardius fides!

Impedimentum. 7. Quem tamen σκόπον ne apud omnium animos novatores consequantur „columna [2] impedit et firmamentum veritatis:„ impedit scilicet „domus Dei, quae est ecclesia Dei vivi,„ quam [3] „Christus Filius Dei vivi supra petram aedificavit.„ Sed hinc dirum illud bellum, quod non est [4] adversus carnem et sanguinem, sed adversus principes et potestates, adversus mundi rectores tenebrarum harum, contra spiritualia nequitiae in coelestibus:„ bellum, inquam, quod instruitur a potestatibus istis inferique portis contra illam petram, quam ipse antiquus dierum posuit, quae antiquitate sola stat, cuius norma sentiendi, loquendi agendique non est nisi antiquitas, quaeque ipsa suae immobilis antiquitatis forma ac specie haud secus piis omnibus inspirat venerationem atque fiduciam, quam impiis profanarum novitatum molitoribus pavorem incutit perniciemque praesagit. Inde tot in illam irae tantique concitantur furores.

Praesens bellum 8. Nunc autem eo iam atrocius bellum esse deprehenditur,

[1] I. Tim. VI. 20 sq. Ὦ Τιμόθεε, τὴν παρακαταθήκην φύλαξον, ἐκτρεπόμενος τὰς βεβήλους κενοφωνίας καὶ ἀντιθέσεις τῆς ψευδωνύμου γνώσεως: (Quibus duo Paulus docet 1) fidei depositum non una absolvi idearum conceptuumque sacra antiquitate, sed etiam sacram flagitare antiquitatem verborum: 2) ad profanam loquendi novitatem conducere falsam sciendi speciem) ἣν τινὲς ἐπαγγελλόμενοι περὶ τὴν πίστιν ἠστόχησαν.

[2] I. Tim. III. 15. Ἵνα εἰδῇς, πῶς δεῖ ἐν οἴκῳ θεοῦ ἀναστρέφεσθαι, ἥτις ἐστὶν ἐκκλησία θεοῦ ζῶντος, στύλος καὶ ἑδραίωμα τῆς ἀληθείας.

[3] Matth. XVI. 18.

[4] Ephes. VI. 12. Ὅτι οὐκ ἔστιν ἡμῖν ἡ πάλη πρὸς αἷμα καὶ σάρκα (non solum erga haec), ἀλλὰ (μάλιστα, potissimum) πρὸς τὰς ἀρχὰς, πρὸς τὰς ἐξουσίας, πρὸς τοὺς κοσμοκράτορας τοῦ σκότους τοῦ αἰῶνος τούτου, πρὸς τὰ πνευματικὰ τῆς πονηρίας ἐν τοῖς ἐπουρανίοις.

quod non amplius uni vel alteri indicitur domus Dei parti, sed toti intentatur ecclesiae, immo vero directe immediateque ipsam aggrediuntur petram fundamentalem cui illa tota incumbit. Furentis consilium hostis si spectaveris, propemodum diceres, quemadmodum Apostolorum princeps Petrus divinitus excitus e centro romani imperii veteri gentilitati universae bellum indixit, et in ipsa Urbe omnis superstitionis principe arce antichristum satanam [1], congrediendo cum praecursore suo Simone, debellavit, atque romana fundata episcopali sede, fidei petra, universitatem christianam devinxit et in eam unitatem coniunxit, quae a romano principatu determinata unitatem romanam efficeret: ita vicissim ac repensa prope vice Dei hominumque inimicus impetu facto in centrum totius visibilis regni Christi bellum christiano nomini universo infert, et apud romanam ipsam cathedram totius pietatis arcem per suos ministros cum Petri successore congrediendo Christum debellare in eius vicario attentat, atque romana eversa pontificia sede opus Christi pessumdare, a pastore gregem, a doctore ac magistro discipulos omnesque docendos, a capite membra, a fonte rivulos, radios a sole atque ab ecclesia matrice filias abstrahere ac avellere romanamque unitatem radicitus dissipare praesumit!

[1] In commentario de ss. Petro et Paulo quem Bollandiani die 29. Jun. ex Ms. medic. graeco reg. christ. et Jac. Sirleti interpret. Ms. in Bib. vatic. habent c. II. n. 7. haec leguntur: *Ὤφθη δὲ αὐτῷ ὁ Κύριος ἐν ὁράματι τῆς νυκτὸς λέγων· ἀναστὰς, Πέτρε, τὴν ἑσπέραν κατάλαβε. χρήζει γάρ σου τῆς δαδουχίας, καὶ ἐγὼ μετά σου ἔσομαι. Ὁ γὰρ Σίμων παρὰ τῶν ἐπιζητούντων αὐτόν, ὡς φθάσαντες ἐξεθέμεθα, μίκρον ὕστερον ἁλοὺς ἐπὶ τὴν Ῥώμην ἄγεται, δίκας τῶν τετολμημένων εἰσαράξασθαι. ἐν ᾗ γενόμενος καὶ πολλοὺς ταῖς μαγείαις ἐκστήσας, οὐ μόνον δίκην οὐκ ἔτισεν, ἀλλὰ καὶ θεὸς τοῖς πολλοῖς ἐνομίσθη. τοσοῦτον γὰρ ὁ τοῦ σατανᾶ πρόδρομος τοὺς ῥωμαίους ταῖς μαγείαις ἐξέπλήξεν κ. τ. λ.* „Apparuit autem illi Dominus nocte per visum: Surgens Petre, inquit, occidentem (orientem iam ex praecedentibus occuparat) occupa: eget enim te luminis facem praemonstrante, et ego tecum ero. Simon enim ille ab iis, a quibus inquirebatur, ut supra diximus, mox captus Romam ducitur, ut eorum quae ausus fuerat poenam iudicibus exolveret. Quo quum venisset praestigiisque multos decepisset atque in stuporem adegisset, non modo poenam non dedit, sed etiam a multis pro Deo est habitus, adeo enim satanae praecursor Romanos suis praestigiis perculsit„ etc.

Exitus. 9. „Et portae inferi non praevalebunt adversus eam.„ Qui in Simone Joannis filio romanam olim unitatem fundavit veteremque gentilium ἀσέβειαν superavit: idem Petrus in nono Pio novam τῶν ἀσεβῶν gentilitatem superabit romanamque unitatem sartam tectam habebit, et idem porro illam ad finem usque saeculi sartam tectam tuebitur.

Propositio. De hac igitur unitate, quam propterea dixi romanam, quod determinans eiusdem principium ipsa est romana Apostolorum principis sedes, a qua summa rei pendet, quaeque tantum valet quantum universa Christi oeconomia, adeoque ipsa valet christiana veritas, auspice Petro, qui in romana ecclesia iugiter vivit et regnat, disputare constitui.

CAPUT I.

De ratione et amplitudine romanae unitatis.

I. *Ecclesia catholica — appositi catholicae vis et antiquitas.*

1. Divinam erga humanum genus oeconomiam enarrans Ire- *Ecclesia catholica.*
naeus [1] tempore ac duratione illam perpetuam constantemque fuisse declarat, praestantia vero ita jugiter crescentem, ut vineam suam quam curaverat olim Deus per patres atque prophetas, eam in plenitudine temporis administrandam perficiendamque ipsi commiserit Filio. Inde porro ad illius incrementum extensionemque veniens pergit: „Quapropter tradidit eam Dominus Deus non jam *Irenaeus.*
circumvallatam, sed expansam in universum mundum aliis colonis reddentibus fructus temporibus suis turre electionis exaltata ubique et speciosa. Ubique enim praeclara est ecclesia et ubique circumfossum torcular; ubique enim sunt qui suscipiunt Spiritum.„ Quibus profecto ecclesia non conspicua minus ac visibilis, quam universalis atque catholica describitur. Et sane, quemadmodum *πίστις καθολικὴ* ea est [2] ac dicitur, quae annuntiatur in universo mundo, quaeque omni creaturae [3] ubivis terrarum et qua late coelum patet praedicatur: ita collectus credentium coetus primum et per se ecclesia catholica nuncupatur [4], quod ab oriente usque in occidentem diffunditur, quod [5] *καθ' ὅλης τῆς οἰκουμένης ἕως περάτων τῆς γῆς διεσπαρμένη*, quod [6] *πανταχοῦ κρατεῖ, πανταχοῦ ἕστηκε*, quodque [7] plenum est corpus et solidum et toto jam orbe propa-

---

[1] Con. haer. l. IV. c. 36. n. 2.
[2] Rom. I. 8.
[3] Marc. XVI. 15. coll. Coloss. I. 23. I. Cor. I. 23. IX. 16 sqq.
[4] In act. s. Fructuos. n. 3. qui martyrium subiit anno 259.
[5] Iren. l. c. l. I. c. 10. n. 1.
[6] Chrysost. in ep. ad Coloss. h. I. n. 2.
[7] Pacian. ep. III. n. 4. ad Sympron.

Augustinus. gatum. Quae complectitur omnia b. Augustinus Petiliano donatistae obiicienti: „Si vos tenere catholicam [1] dicitis, catholicos illud est quod graece dicitur unicum sive totum. Ecce in toto non estis, quia in partem cessistis„, ita [2] respondens: „Et ego quidem graecae linguae perparum assecutus sum et prope nihil: non tamen impudenter dico, me nosse ὅλον non esse unum sed totum; et καθ' ὅλον secundum totum; unde catholica nomen accepit, dicente ipso Domino [3]: non est vestrum scire tempora quae Pater posuit in sua potestate; sed accipietis virtutem Spiritus sancti superveniente in vos, et eritis mihi testes in Jerusalem et in totam Judaeam et Samariam et usque in totam terram. Ecce unde catholica vocatur. Sed ita clausis oculis offenditis in montem [4] qui ex parvo lapide secundum prophetiam Danielis crevit et implevit universam terram, ut nobis dicatis, quod in partem cesserimus et in toto non simus, quorum communio [5] universo orbe diffunditur.„

Nomen catholicae. Valesius. Joh. Gerard. Vossius.

2. Hinc mirum non est, inde ab ipsa prima Apostolorum successione, ut observat Valesius [6], inditum ecclesiae cognomen catholicae invaluisse, adeoque falluntur, qui cum Joanne Gerardo Vossio [7] arbitrati sunt, ante novatianum schisma hoc titulo ecclesiam minime insignitam fuisse. Eo enim illam insignivit b. Ignatius M. [8] scribens: „Ubi comparuerit episcopus, ibi et multitudo sit; quemadmodum ubi fuerit Christus Jesus, ibi catholica est ecclesia.„ Eodemque rursum titulo illam ipse insignivit Smyrnensium fidelium coetus ab initio litterarum, quas [9] de s. Polycarpi

Ignatius

---

[1] Nota quam catholicitatis vocant in controversia cum donatistis maxime utebantur Patres ad veram ecclesiam a factionibus sectisque distinguendam.

[2] Con. litt. Petil. l. II. c. 38. n. 91.

[3] Act. I. 7.

[4] Dan. II. 35.

[5] Duo ergo dicit catholicae appositum quod ecclesiae fit: a) in recto ut aiunt significatur diffusio universalis; b) in obliquo adsignificatur unio et communio.

[6] Euseb. H. E. l. VII. c. 10.

[7] De trib. symbolis diss. I. thes. 39.

[8] Ep. ad Smyrn. n. 8. *Ὅπου ἂν φανῇ ὁ ἐπίσκοπος ἐκεῖ τὸ πλῆθος ἔστω ὥσπερ ὅπου ἂν ᾖ Χριστὸς Ἰησοῦς, ἐκεῖ ἡ καθολικὴ ἐκκλησία.*

[9] Ap. Euseb. H. E. l. IV. c. 15. et ap. Hefele Pat. ap. op. ed. III. p. 274. *Ἡ ἐκκλησία τοῦ θεοῦ ἡ παροικοῦσα Σμύρναν τῇ παροικούσῃ ἐν Φιλομελίῳ, καὶ πάσαις ταῖς κατὰ πάντα τόπον τῆς ἁγίας καθολικῆς ἐκκλησίας παροικίαις· ἔλεος, εἰρήνη καὶ ἀγάπη ἀπὸ θεοῦ πατρὸς καὶ τοῦ κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ πληθυνθείη.*

martyrio dedit ad omnes per orbem credentes his verbis: „Ecclesia Dei, quae est Smyrnae, ecclesiae Dei apud Philomelium et omnibus ubicunque terrarum sanctae et catholicae ecclesiae populis, misericordia, pax, et caritas Dei Patris et Domini nostri Jesu Christi multiplicetur.„ Et rursum [1] in ipsa martyrii enarratione: „Per tolerantiam devicto injusto praeside sicque immortalitatis corona recepta cum Apostolis omnibusque justis exsultans (b. Martyr) Deum ac Patrem glorificat, atque benedicit Dominum nostrum, animarum nostrarum salvatorem et corporum nostrorum gubernatorem, nec non pastorem catholicae per orbem ecclesiae.„ Quibus praeclare consonant, quae ipse precatus perhibetur [2] s. Polycarpus: „Recordatus omnium, qui aliquando cum ipso congressi fuerant, parvorum aeque ac magnorum, clarorum et obscurorum, totiusque per orbem terrarum catholicae ecclesiae.„ Non alia ergo est ecclesia Dei una [3], non alia sancta [4], neque apostolica alia ab ecclesia catholica, quae universum terrarum orbem sua amplitudine occupat: et ideo est, quod in sym-

Smyrnensis ecclesia.

Polycarpus.

Symbola.

---

[1] Ibid. n. 19. *Διὰ τῆς ὑπομονῆς γὰρ καταγωνισάμενος τὸν ἄδικον ἄρχοντα καὶ οὕτως τὸν τῆς ἀφθαρσίας στέφανον ἀπολαβὼν σὺν τοῖς ἀποστόλοις καὶ πᾶσι δικαίοις ἀγαλλιώμενος δοξάζει τὸν θεὸν καὶ πατέρα καὶ εὐλογεῖ τὸν κύριον ἡμῶν Ἰησοῦν Χριστὸν τὸν σωτῆρα τῶν ψυχῶν ἡμῶν καὶ κυβερνήτην τῶν σωμάτων ἡμῶν καὶ ποιμένα τῆς κατὰ τὴν οἰκουμένην καθολικῆς ἐκκλησίας* (in vindob. cod. additur: *καὶ τὸ πανάγιον καὶ ζωοποιὸν πνεῦμα*: et in vet. int. „et spiritum sanctum, per quem cuncta cognoscimus.„)

[2] Ibid. n. 8. *Μνημονεύσας ἁπάντων καὶ τῶν πώποτε* (al. *ποτέ*) *συμβεβηκότων αὐτῷ, μικρῶν τε καὶ μεγάλων, ἐνδόξων τε καὶ ἀδόξων, καὶ ἁπάσης τῆς κατὰ τὴν οἰκουμένην καθολικῆς ἐκκλησίας.*

[3] Ad rem Theodoretus in Ps. XLVII. 4: *Μία μὲν οὖν ἐστι κατὰ πᾶσαν γῆν καὶ θάλασσαν ἐκκλησία· διὸ προσευχόμενοι λέγομεν ὑπὲρ ἁγίας καὶ μόνης καθολικῆς ἐκκλησίας τῆς ἀπὸ περάτων ἕως περάτων τῆς οἰκουμένης.* Tum haec Alexandri alex. ap. Athan. t. I. p. 2. ed. Montfauc. p. 313. *Ἓν σῶμα ὂν τῆς καθολικῆς ἐκκλησίας.*

Theodoretus.

Alexander alex.

[4] Hanc ecclesiam sanctam praeclare describit ap. Mai N. PP. Bib. t I. p. 54. S. XXV. n. 1. b. Augustinus his verbis: „Ecclesia Dei ecclesia sancta, cui est ille caput. Si enim ille caput, nos corpus; si tamen tales ut pressuram a turbis patiamur, non pressuram Domino faciamus. Magna multitudo confluit ad ecclesiam diffusa per omnes terras: Credunt omnes gentes; et in omnibus gentibus alia pars premit, alia premitur: quae pars premitur ipsa tolerat: quae tolerat, ipsa percipiet mercedem, perveniens ad fructum tolerantiae, de quo dicit Dominus in Evangelio (Luc. VIII. 15.): Fructum affert cum tolerantia. Ipsa est enim pars sanctorum ubique diffusa; quia frumentum est, et oportebat frumentum per totum agrum seminari i. e. per totum mundum. Dominus enim agrum mundum dixit.„

Augustinus.

bolis [1] credimus in catholicam vel in unam sanctamque catholicam ecclesiam.

II. *Ecclesia catholica ipsa est ecclesia romanae unitatis.*

3. Atqui ecclesia catholica, quae est una, sancta, apostolica eadem est quae ecclesia romana, et sicut fides romana a fide catholica nomine tenus dumtaxat apud antiquos differt; ita appellatio cathedrae ecclesiaeque romanae apud eosdem *συνώνυμος* est cum appellatione catholicae ecclesiae.

Cyprianus. 4. Profecto sancto Cypriano idem est, cum Cornelio [2] et cum catholica ecclesia communicare, idemque illi est [3], communionem cum romanis romanaque cathedra habere, atque alienum esse a *Ambrosius.* schismaticis ac profanis. Apud Ambrosium [4] convenire cum episcopis catholicis idem valet ac convenire cum sede romana. Et *Augustinus.* apud Augustinum [5] ipse Pelagius fidem Ambrosii laudans, romanam eam appellavit, ut catholicam eandem esse significaret. Cum *Fulgentius. Hormisda.* Fulgentio [6] exponit papa Hormisda [7] romanae sedis „apostolicam i. e. catholicam sententiam.„ Et rursum [8]: „Qui inquit, cum sede apostolica, hoc est ecclesia catholica non communicant.„ Unde

---

[1] Ap. Denzing. enchir. forma symboli gallicana coll. hispanica, alexandrina, hierosolymitana et q. sqq.

[2] Ep. 48. al. 45. Cornelium adloquens curam se habuisse dicit, ut „te collegae nostri et communionem tuam i. e. catholicae ecclesiae, unitatem pariter ac caritatem probarent firmiter et tenerent.„ Ad Antonianum vero scribens ep. 55. al. 52. haec uti synonyma habet „communicare cum Cornelio, hoc est, cum catholica ecclesia communicare.„

[3] Ep. 48. al. 45. „Scimus nos, inquit, hortatos eos esse, ut ecclesiae catholicae radicem et matricem agnoscerent ac tenerent.„ Et iterum ep. 59. al. 55. „Ad Petri cathedram, atque ad ecclesiam principalem, unde unitas sacerdotalis exorta est, a schismaticis et profanis litteras ferre (audent), nec cogitare eos esse romanos, quorum fides Apostolo praedicante (Rom. I. 8.) laudata est, ad quos perfidia non possit habere accessum.„

[4] Ser. de obit. Satyri frat. n. 47. Quae conferenda sunt verbis Irenaei adv. haer. l. III. c. 3.

[5] De gratia Christ. c. XLIII. Idem porro suo nomine suaque auctoritate confirmat Augustinus c. ep. fund. c. 4.

[6] Ad Joannem et Venerium ep. quam nomine epp. Africae in Sardinia exulum scripsit.

[7] Ad Avit. vienn. ep. 10. coll. ad Possess. ep. 70. ap. Mansi conc. coll. t. VIII., ubi illud inquiri vult circa doctrinam de gratia et l. arbitrio „quod romana hoc est catholica sequatur et asseveret ecclesia.„

[8] Ad Ennod. et Peregrin. ep. 18.

Hieronymus [1] „fidem suam quam vocat? eamne qua romana pollet ecclesia, an illam quae in Origenis voluminibus continetur? Si romanam responderit, ergo catholici sumus.„ Quae quidem sententia adeo vulgo innotuerat, ut Theodosius junior [2] religionem catholicam dixerit romanam religionem. *Hieronymus.* *Theodosius iun.*

5. Sane huc pertinet formula a romanis praesulibus Hormisda [3] et Hadriano I. proposita [4] et ab orientalibus episcopis recepta atque [5] subscripta, quae ita incipit: „Prima salus est rectae fidei regulam custodire, et a Patrum traditione nullatenus deviare, quia non potest Domini nostri Jesu Christi praetermitti sententia dicentis: Tu es Petrus et super hanc petram aedificabo ecclesiam meam. Haec quae dicta sunt rerum probantur effectibus, quia in sede apostolica inviolabilis semper catholica custoditur religio. De hac ergo fide non cadere cupientes et Patrum sequentes in omnibus constituta, anathematizamus omnes haereses.„ Et iterum paulo post: „Suscipimus autem et probamus epistolas beati Leonis papae universas, quas de religione christiana conscripsit, sicut praediximus, sequentes in omnibus apostolicam sedem, et praedicantes ejus omnia constituta. Et per omnia spero, ut in una communione vobiscum, quam sedes apostolica praedicat, esse merear, in qua est integra et vera christianae religionis et perfecta soliditas: promittens in sequenti tempore sequestratos a communione ecclesiae catholicae i. e. non consentientes sedi apostolicae, eorum nomina inter sacra non recitanda esse mysteria.„ A quibus postremo non discrepant illa Gregorii II. quibus [6] episcopis ducibusque Germaniae significavit, commisisse se Bonifacio moguntino, ut populos ex apostolicae huius sedis doctrina informet, et in eadem catholica fide permanere instituat.„ Una igitur eademque censebatur communio cum romana sede [7] ac cum catholica ecclesia eademque ecclesia apostolica. *Hormisda.* *Hadrianus I.* *Gregorius II.*

---

[1] Adv. Rufin. l. I. n. 4.

[2] Ep. ad Acac. aliosque episcopos et anachoretas recitata in ephes. conc.

[3] Libelli sui meminit epp. 8. 9. ad epp. Epiri vet. et ad Joannem. Refertur vero in ep. Joannis constantin. ad Hormisdam et in ep. LI. Hormisdae ad universos Hispaniae episcopos ap. Mansi l. c.

[4] Videsis Concil. oecumen. VIII.

[5] Cf. Muzzarelli opusc. de auct. rom. pont.

[6] In litt. ad epp. et duces German.

[7] Ita Bruno astens. tr. de sacr. azym. „Absit hoc a catholica atque apostolica et romana ecclesia.„ *Bruno astens.*

Haeretici. 6. Quae quidem persuasio tantas in animis vetustatis radices egerat, ut vel hostes ipsi suffragium illi praestiterint. Sane praeter pelagianos, de quibus Augustinum loquentem induximus, Victor uticensis [1] ista a Jocundo ariano homine ad Theodoricum arianorum regem dicta refert: „Poteris eum diversis afflictionibus interficere, nam si gladio peremeris, incipient romani martyrem praedicare.„ Et Gregorius turonensis [2] ex arianorum persona: „Quid putatis, dicebat unus ex illis, quod nunc isti romani dicant.„ Et iterum [3] de ariano principe: „Cogitavit intra se dicens, quia ingenium est romanorum (romanos enim vocitant [4] homines nostrae religionis) ut ita accidat, et non sit virtus Dei.„ Quin plura, quod pronum esset, congeramus, satis perspici ex his potest, ipsorum haereticorum sententia cadere illos e causa, qui romanae communionis exsortes sese catholicos iactitant.

Liturgia. 7. Quam persuasionem ac fidem manifestant ipsa antiquissimae liturgiae [5] monumenta, quae die natali Apostolorum Petri et Pauli hanc praeferunt orationem: „Deus qui secundum promissionis tuae inviolabile constitutum apostolicae confessioni superna dignatione largiris, ut in veritatis tuae fundamine solidatae nulla mortiferae falsitatis jura praevaleant . . . ipsaque sit sacri corporis ubique vera compago, quae te dispensante devota subsequitur, quidquid sedes illa censuerit, quam tenere voluisti totius ecclesiae principatum.„ Et rursum [6] haec: „ex jure apostolici principatus repetendum, ut quae ex Petri cathedra fides permanasset, eam christianae devotionis sequeretur universitas, salubrique compendio [7] et hi, qui ab illorum tramite deviassent haberentur externi [8] et

[1] De persecut. vandal. l. I.

[2] De gloria martyr. c. 7.

[3] Ibid. c. 25.

Agnomen romani. [4] Sectantur ergo veterum haereticorum morem, qui rei romanae sequacibus cognomen indunt „romani“ vel „romanensis“ illudque in probrum conviciumque convertunt. At vero et sic manifestant veritatem.

[5] Cf. vetustissimum romanae ecclesiae sacramentarium editum a Blanchinio recusum a Muratori et illustratum a Ballerinii in praef. Miss. XIV.

[6] Praef. Miss. X.

[7] Quae cum his Cyprian. de unit. eccles. p. 76. conveniunt: „Probatio est ad fidem facilis compendio veritatis, loquitur Dominus ad Petrum: Ego dico tibi, tu es Petrus„ et q. sqq.

[8] Ili ap. Paulum Gal. VI. 10. τοῖς οἰκείοις τῆς πίστεως opponuntur, et I. Cor. V. 12. οἱ ἔξω vocantur.

tantummodo filii veritatis exsisterent, qui a principali [1] nullatenus traditione discederent.„

III. *Fides catholica est fides romana.*

8. E quibus omnibus liquet, fidem ecclesiae romanae fidem esse totius Christi ecclesiae, neque fidem ecclesiae catholicae et apostolicae a fide differre ecclesiae romanae. De qua re insignis prostat maximi doctoris Augustini [2] sententia atque professio, quam *Augustinus.* integram excepisse plurimum confert: „Respondeant tibi, mater, ita προσωποποιῶς ecclesiam alloquitur, omnes qui tecum pariter genuerint (forte gemuerint?) filii tui et consolationis: persecutiones patimur, sed non derelinquimur, deicimur (sic) sed non peribimus; semper mortificationem Jesu Christi in corpore nostro circumferentes, ut et vita Jesu in corporibus nostris manifestetur. Audiat te ipse dicentem: semper tolera, semper tamquam fidelis sponsa tolera, dicit sponsus tuus, iuxta viam meam, ut pervenire possis ad sempiternam laetitiam meam: quoniam digne iusteque et ut decet acrius castigantur mali filii tui. Idcirco putas quia oblitus sum tui? Si oblitus fuero tui Hierusalem, obliviscatur me dextera mea. Si parum credes, et iuro (cod. viro). Adhaereat lingua mea faucibus meis, si tui non meminero. Si non proposuero Hierusalem in principio iocunditatis meae, ut confusionem in aeternum oblivisceris. Haec fidelis promissio capita erigit filiorum, cervices inclinat inimicorum. Non iam te perversa et tortuosa cavea, haeresis arriana, in aliqua formidat nostra coelestis regina; quoniam tu es filia Babylonis misera, quae ad hoc te cotidie male componis, ut a casto sponso veraciter despiciaris. Ad hoc cotidie invadis aliena, ut cum omnibus simul perdas et propria. Cognosceris iam quae sis, omnibus palam facta es qualis sis. *Non crederis veram fidem tenere catholicae, quae fidem non doces esse servandam romanam.* Quaeris enim quantum in te

---

[1] Principalis cathedra est romana, quia ex ea ut Innocent. de causa pelag. ad synod. carthag. scribit, veluti de natali suo fonte aquae cunctae procedunt, et per diversas totius mundi regiones puri latices capitis incorrupti dimanant. Et ita sane illam ut principalem spectarunt Iren. l. IV. c. 43. coll. l. III. c. 3. Optat. milev. l. II. Aug. ep. XLIII n. 7. ad Generos. auctor quaest. in V. et N. T. q. 110.

[2] Ap Mai N. PP. Bib. t. I. p. 273. s. CXX. n. 13. de accedentib. ad gratiam.

est, etiam ipsius fidei catholica fundamenta subvertere.„ Sed nihil inde magis perspicuum exsistit, quam quod praestituimus, ambitum ecclesiae unius sanctae catholicae et apostolicae, amplitudinem efficere unitatis romanae.

IV. *Romanae appositum antiquum est, essentiale, necessarium.*

Romanae nomen antiquum.

9. Jamvero plura hinc consequuntur corollaria quae nefas esset silentio praeterire. Ac initio sequitur:

Corollarium I. Eos falli, qui ex graecorum schismate factum esse docent, ut fides catholica haberetur dicereturque romana.

10. Deinceps sequitur:

Launoius.

Romanae nomen ac res ad naturam ecclesiae spectat.

Corollarium II. Falli cum Launoio eos, qui ad ecclesiae naturam spectare negant summi Pontificis regimen. Etenim essentiale est ecclesiae catholicae ut romana [1] sit; est igitur eidem quoque essentiale, ut a romano gubernetur pontifice.

11. Sequitur porro:

Corollarium III. Discindere et conculcare ecclesiam catholicam, qui proscindere et conculcare non verentur romanam ecclesiam.

12. Hinc sequitur:

Ambrosius.

Corollarium IV. Ad catholicam non pertinere unitatem, qui non spectat ad unitatem romanam. Atque huc faciunt ista Ambrosii [2]: „Ipse est Petrus, cui dixit Christus, tu es Petrus, et super hanc petram aedificabo ecclesiam meam. Ubi ergo Petrus, ibi ecclesia.„ Quae plane expressa diceres ad illa [3] Ignatii M.: „Ubi fuerit Christus Jesus, ibi catholica est ecclesia.„

Optatus

Huc ista Optati [4], quibus asserit, primam de dotibus ecclesiae esse unitatem cathedrae, quatenus omnes, qui nolint esse schismatici et peccatores, debeant in una communionis societate concordare.

Baader.

[1] Apparet ergo quo pertineant, quae scripsit Baader de vi potestateque nominis romanae quo ecclesia catholica distinguitur, deque separabilitate romani primatus ab ecclesia catholica: cf. plures eius hac de re dissertatt. quae leguntur ap. Kerz, kathol. Litteraturzeit. an. 1824. evangel. Kirchenzeit. an. 1838. tum de possib. separat. catholic. a dictat. rom. an. 1839. et de catholic. orient. et occident.

[2] In Ps. L. n. 30.

[3] Ep. ad Smyrn. n. 8. *Ὅπου ἂν ᾖ Χριστὸς Ἰησοῦς, ἐκεῖ ἡ καθολικὴ ἐκκλησία.*

[4] Adv. Parm. lib. II. c. 2. coll. Hieron. ad Damas. ep. XV. n. 2.

Huc ista Augustini [1] quibus Donatistas, ab ecclesia exclusos demonstrat: „Venite, fratres, si vultis ut inseramini in vite. Dolor est, cum vos videmus praecisos ita jacere. Numerate sacerdotes vel ab ipsa Petri sede, et in ordine illo patrum, quis cui successit videte. Ipsa est petra, quam non vincunt superbae inferorum portae.„ *Augustinus.*

Huc ista [2] Prudentii: . . . . . *Prudentius.*

„Fugite o miseri execranda Novati
Schismata, catholicis reddite vos populis,
Una fides vigeat, prisco quae condita templo est,
Quam tenet cathedra Petri.„

Huc tandem ista [3] Cypriani, quibus ecclesiam unam definiens ejusque unitatem describens ait: „Plebs sacerdoti coadunata, et pastori suo grex adhaerens.„ Unde sicut unitas particularis cujusque ecclesiae efformatur in singulis earumdem pastoribus; ita unitas ecclesiae catholicae exinde efflorescit, quod singulae plebes glutino suorum sacerdotum copulantur et cohaerent radici atque origini unitatis, quae in Petro sita est ejusque successoribus. Sed de his quam primum uberius. *Cyprianus.*

V. *Orientalium consensio et dissidium.*

Scholion. 13. Rationes ob quas eruditus vir Macarius, vinnicensis [4] in Russia episcopus nomen „catholicae“ ecclesiae factum praeclare docet, romanae unitati non modo non desunt, verum unice in ea ac per eam modo plane singulari fulgent. Revocantur namque illae ad has tres, ut catholica vocetur ecclesia a) ob extensionem, b) ob durationem, c) ob oeconomiam dispensationemque suam iuxta haec [5] Cyrilli hierosolymitani, qui easdem illas ad quatuor *Macarius vinnicensis.*

---

[1] In Psalmo con. partem Donati.

[2] Hymn. s. Hippolyti.

[3] Epist. LXIX.

[4] Theol. dogmat. orthod. t. II. §. 180. pp. 283 sqq. vers. gall. Paris. 1860.

[5] Catech. XVIII. n. 23. *Καθολικὴ μὲν οὖν καλεῖται διὰ τὸ κατὰ πάσης ειναι τῆς οἰκουμένης, ἀπὸ περάτων γῆς ἕως περάτων. καὶ διὰ τὸ διδάσκειν καθολικῶς καὶ ἀνελλειπῶς ἅπαντα τὰ εἰς γνῶσιν ἀνθρώπων ἐλθεῖν ὀφείλοντα δόγματα, περί τε ὁρατῶν καὶ ἀοράτων πραγμάτων, ἐπουρανίων τε καὶ ἐπιγείων. καὶ διὰ τὸ πᾶν γένος ἀνθρώπων εἰς εὐσέβειαν ὑποτάσσειν ἀρχόντων τε καὶ ἀρχομένων, λογίων τε ἰδιωτῶν. καὶ διὰ τὸ καθολικῶς ἰατρεύειν μὲν καὶ θεραπεύειν ἅπαν τὸ τῶν ἁμαρτιῶν εἶδος, τῶν διὰ ψυχῆς καὶ σώματος ἐπιτελουμένων. κεκτῆσθαι δὲ ἐν αὐτῇ πᾶσαν ἰδέαν ὀνομαζομένης ἀρετῆς ἐν ἔργοις τε καὶ λόγοις καὶ πνευματικοῖς παντοίοις χαρίσμασιν.*

titulos reducit: „Catholica vocatur (seu universalis ecclesia), eo quod per totum orbem ab extremis terrae finibus ad extremos usque fines diffusa est. Et quia universe et absque defectu docet omnia, quae in hominum notitiam venire debent dogmata, sive de visibilibus et invisibilibus, sive de coelestibus et terrestribus rebus. Tum etiam eo quod omne hominum genus recto cultui subiiciat, principes et privatos, doctos et imperitos. Ac denique quia generaliter quidem omne peccatorum genus quae per animam et corpus perpetrantur, curat et sanat; eadem vero omne possidet, quovis nomine significetur, virtutis genus in factis et verbis et spiritalibus cuiusvis speciei donis.„ Sicut enim antiquitus ecclesia Dei catholica nulla nominaretur, nisi quae romana [1] cognominaretur; ita profecto de hac unitate romana laudatos characteres antiqui praedicabant: et sicuti catholica ecclesia eo ipso quod talis est duratione iugiter eadem manet atque sibi semper similis persistit; ita etiamnum non alia ecclesia catholicae nomine et re iure meritoque excellit praeter ecclesiam insignem cognomine romanae: tandem sicuti revera ecclesia quae unitate romana continetur ornamentis, decoribus dotibusque illis topologico, chronologico, oeconomico et ethico egregie omnino distinguitur; ita reliquae communiones omnes quae ecclesiae nomen praeferunt, iisdem manifeste destituuntur, neque proinde catholicae nomen merentur. Quod vero a Macario, qui in describenda ecclesia, ut par est, veterum utitur auctoritate, ubi [2] ecclesiae partitiones variasque particularium ecclesiarum appellationes recenset, neque nominis romanae neque partitionis in occidentalem et orientalem plagam, e qua utraque universalis ecclesia eademque apostolico-romana efflorescere ab antiquis frequenter perhibetur, mentionem ullam iniecerit, mirum videri possit neque ab omni partium studio alienum.

CAPUT II.

De natura ac indole romanae unitatis.

I. *Ecclesia romana societas est necessaria-legalis-inaequalis.*

Indoles romanae unitatis.

14. Explorata romanae unitatis amplitudine et extensione pronum est, de charactere illius inquirere atque statuere. Is porro

[1] Cui ἐκ παραλλήλου dictum illud Paciani respondet: Christianus mihi nomen, Catholicus cognomen.

[2] Ibidem p. 286.

alius esse nequit, quam est ipsius ecclesiasticae societatis natura ac indoles.

Modo autem nostrum non est, singulas illius proprietates et dotes, quas compertissimas omnibus [1] sumimus, sive illustrare pluribus sive argumentis probatas asserere. Eo satius spectamus, ut quae illi conveniunt, paritate rationis de romana unitate paucis enarremus.

15. Itaque I. suo *spectato fine* ecclesiastica societas a Christo aedificata [2] ac condita societas est non voluntaria, sed necessaria tam necessitate praecepti [3] quam necessitate medii [4]. Videlicet hominibus quibus evangelium innotuerit, integrum non est, vel propositam religionem rejicere penitus vel insuper eam habere et negligere: coetus enimvero illa est ab auctore Christo ad salutem consequendam factus, ideoque omnibus necessarius. Talis ergo indolis est pariter [5] romana unitas: non est res in libera potestate sita, sed a quovis ineunda nec deserenda ab ullo, qui compertam illam habuerit. *Societas est necessaria.*

Hinc s. Cyprianus [6]: „Qui cathedram Petri, supra quam fundata est ecclesia deserit, in ecclesia esse confidit?„ Et praeclarius etiam Hieronymus [7]: „Ego nullum primum nisi Christum sequens Beatitudini tuae, i. e. cathedrae Petri, communione consocior. Super illam petram aedificatam ecclesiam scio. Quicunque extra hanc domum agnum comederit, profanus est. Si quis in Noë arca non fuerit, peribit... non novi Vitalem, Meletium respuo, ignoro Paulinum. Quicunque tecum non colligit, spargit: hoc est, qui Christi non est, antichristi est.„ *Cyprianus.* *Hieronymus.*

16. Est porro II. Christi ecclesia *considerata origine* societas *Legalis societas est.*

---

[1] Videsis quae in I. et II. volumine de ecclesia Christi disputavimus una cum Car. Passaglia quum sodalis adhuc esset Soc. Jesu.

[2] Ephes. II. 20 sq.

[3] Math. XXVIII. 19. Joh. X. 16. Marc. XVI. 15. 19.

[4] Tanta est ecclesiae necessitas, quanta est necessitas cohaerendi cum Christo novaque vita renascendi.

[5] Hinc tanta sollicitudine commendatur unitas et vetatur scissio: I. Cor. I. 10. XI. 18. sqq. Gal. V. 20. II. Pet. II. I.

[6] De unit. eccl.

[7] Ad Damas. ep. XV. n. 2.

legalis nimirum [1] determinata legitimi superioris ac domini [2] voluntate imperioque tam quoad exsistentiam, quam quoad suum exsistendi modum. Hujusmodi igitur est romana quoque unitas; adeoque non aliter neque alibi praetendenda ea est, quam qua lege, quo pacto et modo quoque coetu definitam auctor et caput [3] ipse Christus eam praescripsit.

Cyprianus. Unde rursum [4] Cyprianus: „Quodsi una est ecclesia, quae a Christo diligitur et lavacro ejus sola purgatur: quomodo qui in ecclesia (i. e. externa communione non gaudet) non est, aut diligi a Christo, aut ablui et purgari lavacro ejus potest? Propter quod quum sola ecclesia habeat aquam vitalem et baptizandi atque abluendi homines potestatem, qui dicit apud Novatianum baptizari et sanctificari aliquem posse, prius ostendat et doceat, Novatianum in ecclesia esse, aut ecclesiae [5] praesidere. Ecclesia enim una est, quae una et intus esse et foris non potest. Si enim apud Novatianum est, apud Cornelium non fuit. Si autem apud Cornelium fuit, qui episcopo Fabiano legitima ordinatione successit, et quem praeter sacerdotii honorem [6] martyrio quoque

---

[1] Legalis societatis institutio referri potest tam ad obiectum, praefinitis normis omnibus quae ad efficiendam, conservandam propagandamque illam conducunt, quam ad subiectum, selectis designatisque iis qui pariter non ex arbitrio sed ex voluntate auctoris illam moderantur et administrant. Jamvero utroque pacto instituta a Christo ecclesia fuit legaliter. Statutus enim ab illo fuit a) aggregationis modus, baptismus: praescripta b) principalis conditio, fides: c) propositum credendi agendique obiectum, quaecunque mandavi vobis: d) institutum magisterium aeque ac tribunal authenticum, penes quod esset doctrinae integritas, leges ferendi, iudicandi puniendique summa potestas: docete — ego vobiscum sum — collatae solvendi ligandique claves — et nisi ecclesiam audierit, sit tibi sicut ethnicus et publicanus: porro e) vocati selectique duodecim, quibus omnis inesset potestas docendi regendique ecclesiam, et a quibus porro determinata hierarchica forma continuandum iugiter ministerium in sequentes doctores atque pastores perenniter dimanaret ac propagaretur. Recolantur verba Domini Matth. XVI. 18. XVIII. 17. XXVIII. 18 sqq. coll. Marc. XVI. 15., tum aliis omissis Act. XX. 28 sqq. quaeque Apostoli in litteris pastoralibus continuo exponunt.

[2] Act. XX. 28.

[3] Eph. IV. 15.

[4] Ad Magn. ep. LXIX.

[5] Dixit se Novatianus successorem Petri: quare patet, Cypriano auctore eum in ecclesia esse, qui vel successor Petri ipse legitimus sit vel cum successore Petri communione legitima junctus sit.

[6] Sacerdotii honor, qui Petri inest successoribus. Est vero sacerdotium heic episcopatus, uti sacerdos κατ' ἐξοχὴν apud Veteres est episcopus, scilicet sacerdos ordinis primi.

Dominus glorificavit, Novatianus in ecclesia non est.„ Nullibi ergo et apud neminem quaeri haberique romana unitas potest, quam in coetu cohaerente cum legitimo Petri successore. Quod doctrinae caput iterum iterumque inculcare idem S. Martyr tantae necessitatis duxit, ut ad universam plebem de eo litteras [1] dederit, in quibus praeter eximia multa haec leguntur: „Deus unus est, et Christus unus et una ecclesia, et cathedra una supra Petrum (al. supra Petram) Domini voce fundata.... Quisquis alibi collegerit, spargit. Adulterum est, impium est, sacrilegum est, quodcunque humano furore instituitur, ut dispositio divina violetur.„ Quibus ad unitatem romanam ostendendam legalem jurisque inviolabilis, requiri nihil insignius poterit.

17. Sed enimvero III. quaenam est prima ac potissima christianae ecclesiae lex, si ad ejus oeconomicam constitutionem respexeris? Non alia, quam qua formam praeferat societatis inaequalis [2] quae nullum cum democratia commercium habeat. Eo ergo romana etiam unitas pertineat necesse est. Immo vero inaequalitas illa ecclesiae vel ipso romanae ecclesiae romanaeque unitatis titulo potissimum indicatur. Eo enim significatur, voluisse Christum, ut ecclesiae suae regimen ad unum supremumque caput revocaretur, idque aliud non esset a Petro suisque in romana sede successoribus. Praeclare Gelasius [3] de Salvatoris nostri ad Petrum verbis [4] ita commentatus est: „Quare igitur ad Petrum tam frequens Domini sermo dirigitur? Num quidnam reliqui sancti et beati Apostoli non erant simili virtute succincti? Quis hoc audeat affirmare? Sed ut capite constituto schismatis tolleretur occasio et una monstraretur compago corporis Christi, quae ad unum caput gloriosissima dilectionis (oppositae schismati) societate con-

Societas est inaequalis.

Gelasius P.

---

[1] Ep. XL. al. XLIII.

[2] Eo differt ab aequali inaequalis societas, quod in illa possideantur ab omnibus eadem iura, licet idem non sit apud omnes omnium iurium exercitium; contra vero in societate inaequali non modo diversum apud diversos est exercitium iurium, verum ipsa quoque iura apud alios alia sunt atque diversa. Atqui non eadem esse in ecclesia Dei membrorum omnium iura probant omnia quibus probatur tum pastorum atque doctorum institutio, tum clericorum a laicis distinctio, tum sacra inter clericos ipsos hierarchia, tum probant solemnes imagines, similitudines ac comparationes ecclesiae cum familia, regno humanoque corpore.

[3] Ep. XIV.

[4] Apud. Matth. XVI. 18. Luc. XXII. 31 sq. Joh. XXI. 15.

curreret, et una esset ecclesia, cui fideliter crederetur.„ Hinc idem [1] docet: „Petri gubernationem principalem esse, universoque gregi in orbe terrarum debitam.„ — Et hinc alius Petri successor,
Felix P. Felix [2] affirmat, „auctoritate Petri, qui summus est Apostolorum, petra fidei, coelestisque dispensator mysterii, omnium solidari dignitatem sacerdotum.„

Cyprianus. Atque hinc rursum Cyprianus [3]: „Hoc erant utique et caeteri Apostoli quod fuit Petrus, pari consortio praediti et honoris et potestatis, sed exordium ab unitate proficiscitur, ut ecclesia una monstretur.„ In qua proinde una universalique ecclesia praesidet
Gregorius naz theologo ac doctore summo nazianzeno Gregorio [4] „Roma antiqua, ubi tota sancte custoditur divinae veritatis concordia.„

II. *Ecclesia romana societas est unitatis visibilis.*

18. Cum his autem nexum vinctumque IV. hoc est, quod quum Christus Dominus voluerit [5], ut sua ecclesia visibilem faciem praeferret, ejusdem quoque unitatem conspicuam velle ac facere debuerit. Haec autem quam Christus voluit ac instituit conspicua [6]

---

[1] Ep. XII.

[2] Ad Flavitam constantin. ep. XIII.

[3] De unit. eccl.

[4] De vita sua carmen XI. vv. 570 sqq. ed. Par. 1842. t. II. p. 704.

Τούτων δὲ πίστις ἡ μὲν (Roma occidentis)
ἣν ἐκ πλείονος
Καὶ νῦν ἔτ' ἔστιν εὔδρομος, τὴν
ἑσπέραν
Πᾶσαν δέουσα τῷ σωτηρίῳ
λόγῳ
Καθὼς δίκαιον τὴν πρόεδρον
τῶν ὅλων,
Ὅλην σέβουσαν τὴν θεοῦ
συμφωνίαν.

[5] In re explorata non displicebit explicata nondum auctoritate uti, quam suppeditatim. Mai, apud quem in nova PP. Bib. t. V. p. 197. ita habet
Nicephorus. s. Nicephorus pro sanctis imaginibus disputans: „Mons ergo Domini conspicuus existimandus est, ut summatim dicam, sacrae ecclesiae nobilitas, nitor atque majestas, et quae eam inaurat atque ornat hilariter admodum splendideque, evangelicarum doctrinarum puritas, dogmatumque altitudo ac sublimitas, omnia inquam humanos fines excedentia, excelsa et summa: quorum sonitus et praedicationes diserte clamant, et omnium auribus clarissime intonant, divini mysterii manifestationem facientes, aeternis temporibus silentio pressi, a sanctis demum Scripturis notificati.„

[6] Quum de ecclesiae visibilitate agitur, non quaeritur profecto, utrum

ecclesiae unitas splendet et emicat maxime, si unitas ipsa romana, qua cum illa una eademque est oculis objiciatur. Unius enim visibilis gregis pastor adest [1] conspicuus, qui toti praesideat ovili, omnesque oves in unitate contineat. Unum praesto est visibile centrum, ex quo in omnes partes radii veritatis dimanent.

19. Quod quidem diserte Cyprianus [2] docet: „Ut unitatem manifestaret (i. e. conspicuam faceret), unam cathedram constituit, et unitatis ejusdem originem ab uno incipientem sua auctoritate disposuit: Primatus Petro datur, ut una Christi ecclesia et cathedra una monstretur.„ Quocum Augustinus [3] plane conspirat: „In ipso, inquit, Petro unitatem [4] commendavit. Multi erant Apostoli, et uni dicitur, pasce oves meas.„ Et cum utroque consentit [5] Bernardus: „Et forte, ait, praesentes ceteri condiscipuli erant, quum committens uni unitatem commendaret in uno grege et in uno pastore.„ *Cyprianus.* *Augustinus.* *Bernardus.*

visibilis sit materialiter, ut dicunt, spectatis scilicet membris e quibus conflatur, ea enim pro stadio terrestri hominibus visibilibus constituuntur: quod itaque in quaestionem adducitur hoc est, sit ecclesia necne visibilis formaliter, quatenus legaliter instituta ecclesia promissionum est. Atqui hoc sensu visibilem esse ecclesiam ostendunt, quae de iuridica eius constitutione ac continuatione ex sententia Christi, e mente Apostolorum Patrumque traditione historice, exegetice atque dogmatice constant.

[1] Joh. X. 1 sqq.

[2] De unit. eccl.

[3] Ser. XLVI. n. 13.

[4] Unitatem profecto visibilem, quae conspicuae convenit ecclesiae de qua eximie ipse Augustinus ita disserit apud Mai N. PP. Bib. t. I. p. 167. s. LXXXVI. in pasch. n. 2: „Ecce discipuli et Christum viderunt post resurrectionem, et hoc futurum fuisse Scripturas sanctas ore ipsius audierunt. Nos Christum praesentem in carne non vidimus; sed Scripturas, quibus et illi firmati sunt, cotidie cum leguntur audimus. Et quid de Scripturis dixit? Praedicari in nomine eius poenitentiam et remissionem peccatorum per omnes gentes, incipientes ab Hierusalem. Hoc discipuli non videbant; Christum videbant de futura ecclesia dicentem. Dicente itaque Christo quod non videbant credebant. Caput videbant, corpus nondum videbant. Nos corpus videmus, de capite credimus. Duo sunt, sponsus et sponsa, caput et corpus, Christus et ecclesia. Discipulis seipsum ostendit et ecclesiam promisit. Nobis ecclesiam ostendit, de se ipso credere praecepit. Unum videbant Apostoli, aliud non videbant. Et nos unum videmus, aliud non videmus. Quomodo illi a praesente capite credebant de corpore, sic nos de praesente corpore credamus de capite. An negaturi sumus? Sed negare nos clamans veritas ipsa non sinet. Videmus enim ecclesiam Christi a solis ortu usque ad occasum laudare nomen Domini.„ *Augustinus.*

[5] De consid. l. II. c. 8.

III. *Romana unitas est societas supernaturalis, spiritualis, salutifera.*

1. *Societas supernaturalis.*

20. Licet vero Christi ecclesia faciem gerat visibilem vitamque conspicuam explicet, spectato tamen ordine eadem est V. societas supernaturalis: nimirum est societas cujus origo, media et finis omnem praetergressa humanae naturae exigentiam Deo debentur, qui sicuti sua incitatus bonitate hominum genus ab originibus ad statum provexit indebitum, ita ejusdem lapsum Deus Trinitas [1] sua impulsus misericordia reparare omnino voluit.

2. *Societas spiritalis.*

21. Sed ita pariter spectata ecclesia est societas spiritalis [2], quatenus scilicet ad hoc facta comparataque est divinitus, ut membra sua proxime quidem ex statuta norma sanctificet, tum vero, quod illius fructus est ac corona, ad aeternam beatitatem adducat [3], atque hoc tandem pacto supremam Deo gloriam [4] afferat. Eo ergo unitas quoque romana pertinet, ut quae spiritale exsistat Christi regnum in terris universos homines ad sanctificationem, beatitudinem aeternam, aeternamque Dei gloriam coelesti lumine manifestandam provehat.

Leo M.

22. Ad quae illustranda nihil praeclarius dari potest, quam quod oratione splendida [5] complexus est Leo cognomine magni: „Deus namque bonus et justus et omnipotens, qui misericordiam suam (en causam incitantem) humano generi numquam negavit, omnesque in commune mortales ad cognitionem sui abundantissimis semper beneficiis (en supernum ordinem) erudivit, voluntariam erran-

---

Scripturae.

[1] Haec ex aliis plurimis manifesta sunt omnibus, tum ex iis patent a) quibus ecclesia perhibetur opus Christi θεανθρώπου redemptoris: Act. XX. 28. I. Pet. I. 18 sq. Apoc. I. 5 sq. V. 9 sq. coll. Is. LIII. 10. Heb. IX. 16 sq. b) quibus efficiens illius causa modo ad totam Trinitatem et modo ad singulas Trinitatis personas revocatur: Luc. IV. 18. Matth. X. 40. Joh. V. 23. Matth. IX. 38. et XVII. 5. II. Cor. III. 6. V. 18. Hebr. I. 2. Rom. XV. 8. Joh. III. 2. Marc. XVI. 15. Matth. X. 1. XXVIII. 19. Eph. IV. 11. II. Cor. V. 20. Luc. X. 16. II. Sam. XXIII. 2. II. Pet. I. 21. Ps. XLV. 8. Act. II. 1. I. Cor. XII. 4 sqq. II. Cor. III. 6.

[2] Videsis quae de spirituali Christi regno disputantur ab interpretibus in commentariis ad Joh. XVIII. XIX.

[3] Huc faciunt Marc. XVI. 16. Joh. VIII. 51. X. 9 sq. Act. XVI. 18. I. Cor. III. 15. Act. XI. 14. I. Tim. IV. 16. Eph. IV. 12 sq. I. Cor. I. 21. XV. 1 sq.

[4] Joh. XVII. 4. II. Cor. III. 9. Act. IX. 15. I. Cor. XV. 26 sqq. coll. Deut. XXVI. 19.

[5] Ser. 82. (al. 80.) in nat. apost. Petri et Pauli cc. 2 sq.

tium caecitatem et proclivem in deteriora nequitiam secretiori consilio et altiore pietate (en ordinem reparationis) miseratus est, mittendo Verbum suum aequale sibi atque coaeternum (en redemptorem θεάνθρωπον). Quod caro factum ita divinam naturam naturae univit humanae, ut illius ad infima inclinatio, nostra fieret ad summa provectio (en supernaturalem humanitatis redemptae finem). Ut autem hujus inenarrabilis gratiae per totum mundum diffunderetur effectus (en universalis salutis oeconomiam), romanum regnum divina providentia praeparavit (en providentiam Dei disponentem omnia suaviter), cujus ad eos limites incrementa perducta sunt, quibus cunctarum undique gentium vicina et contigua (al. continua) esset universitas (en societatem καθολικήν). Disposito namque divinitus operi maxime congruebat, ut multa regna uno confoederarentur imperio, et cito pervios haberet populos praedicatio generalis (al. regenerationis), quos unius teneret regimen civitatis (en romanam unitatem). Haec autem civitas ignorans suae provectionis auctorem, quum pene omnibus dominaretur gentibus, omnium gentium serviebat erroribus, et magnam sibi videbatur suscepisse religionem, quia nullam respuerat falsitatem. Unde quantum erat per diabolum tenacius illigata, tantum per Christum est mirabilius (en divinae gloriae partem) absoluta. Nam [1] quum duodecim Apostoli accepta per Spiritum s. omnium loquutione linguarum, imbuendum evangelio mundum distributis sibi terrarum partibus suscepissent, beatissimus Petrus princeps apostolici ordinis ad arcem romani destinatur (en divinum providentiae ordinem cum Petro romanaque ecclesia) imperii, ut lux veritatis, quae in omnium gentium revelabatur salutem, efficacius se ab ipso capite per totum mundi corpus effunderet (en romanae cathedrae praerogativam). Cujus autem nationis homines in hac tunc urbe [2] non essent? aut quae usquam gentes ignorarent quod Roma didicisset? Hic conculcandae philosophiae opiniones, hic dissolvendae erant terrenae sapientiae vanitates, hic confutandus daemonum cultus, hic omnium sacrificiorum (al. sacrilegiorum) impietas destruenda, ubi diligentissima superstitione habebatur quidquid usquam fuerat variis erroribus institutum. Ad hanc [3] ergo urbem,

---

[1] Ita ibid. c. 3.

[2] Huc spectat Dölling. opusc. recentissimo: Die Kirche und die Kirchen I. p. 2.

[3] Ibid. c. 4.

ita Apostolorum principem compellat, beatissime Petre Apostole venire non metuis? Enimvero factum inde est, „ut [1] Roma gens sancta, populus electus, civitas sacerdotalis et regia, per sacram beati Petri sedem caput orbis effecta latius praesideret religione divina, quam dominatione terrena.„

3. *Societas salutis.*

22. Scilicet in romana unitate, cui praeest Christi vicarius, sita vis est ecclesiae catholicae, in ea obtinetur vita, ob quam hominibus afferendam Christus ipse [2] venisse se affirmat: in illa obtinetur salus, quam credentibus [3] idem Salvator promisit perque Apostolos universis gentibus annuntiare fecit: atque in eadem omnia praebentur, quae redemptor [4] ad membra suae ecclesiae sanctificanda instituit. Hinc ipsa „utique, ut Augustini [5] paraeneticis verbis utamur, gestatorium vel ferculum apud Salomonem [6] dicatur, pro eo quod animas hominum ad aeterni regis gestet vel ferat convivium. Congruenter igitur sportae nomine etiam potest vocari, quae a portando, sicut etiam exportando, vocabulum trahit; quia videlicet sancta ecclesia per sacrae praedicationis studium, per bonorum quotidie exempla virorum, animas fidelium de mundi ereptas iniquitate ad mansura semper coelestis patriae gaudia portare consuevit; quo etiam et nos ferri mereamur! praestante Domino nostro Jesu Christo, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat per omnia saecula saeculorum. Amen.„

Augustinus.

IV. *Romana visibilis unitas sociali fide caritateque continetur.*

Actus sociales.

23. Communi societatis fini, qui omnibus atque singulis ejus membris necessario [7] propositus est, VI. respondeat oportet huma-

---

[1] Ib. c. 1.

[2] Joh. X. 10.

[3] Marc. XVI. 16. Hebr. V. 9. Act. IV. 12. Rom. X. 13 sqq. I Tim. IV. 13 sqq.

[4] Matth. XXVIII. 28 sqq.

[5] Ser. CLXIII. n. 6. ap. Mai N. PP. Bib. t. I. p. 367.

[6] Cant. III. 9.

Honestus societatis finis.

[7] Societati namque cuivis intrinsecum habetur, ut communis sit civium sociorumve finis. Is vero sicuti honestus sit oportet, ita nullatenus ab omnibus est eadem ratione procurandus. Et quod ad illud spectat, ipso actu quo societas initur, obligatio ad communem finem procurandum contrahitur. Atqui absurda est obligatio ad illud procurandum quod inhonestum est Unde dig. c. 57. „Pro socio“ dicitur: „Si maleficii societas coita sit, constat nul-

norum communitas actuum, qui propter finem illum eliciuntur, quosque adeo sociales nuncupaveris. His enim sicuti communes societatis obtinentur fines, ita actibus iisdem socii ac cives et constituuntur et distinguuntur tamquam vera ejusdem societatis membra. Sed indubitatum est, societatem ecclesiasticam [1] a suis postulare membris praeter eamdem atque communem omnibus initiationem ac regenerationem baptismi, eamdem communem fidem eamdemque communem caritatem, sed utramque socialem, objectivam nimirum et publicam [2]. Hinc in ecclesia Dei communis fidei, actionis communionisque lex eo pertinens, ut christianae societatis mysticique corporis membra [3] communi vita arctissimaque unitate devinciantur. Atqui non alia est romanae unitatis species ac forma: immo vero in romana apprime unitate et lex illa maxime emicat illaque vita singulariter splendet.

Socialis fides et caritas.

24. „Ad hanc enim ecclesiam, ita Irenaeus [4], propter potentiorem principalitatem necesse est omnem convenire ecclesiam, hoc est eos qui sunt undique fideles, in qua semper ab his, qui sunt undique, conservata est ea quae est ab Apostolis traditio.„ Est ergo romana cathedra totius ecclesiasticae societatis centrum, et ejus fides est fidei socialis regula ac paradigma. Unde pergit Ire-

Irenaeus.

---

lam esse societatem. Generaliter enim traditur, rerum inhonestarum nullam esse societatem.„ Quod vero ad hoc attinet, falso aliquis crederet, idem esse communem proponi finem, et eadem illum ratione ab omnibus esse procurandum. Communis est finis societatis coniugalis, communis finis societatis familiaris, et communis finis societatis civilis; neque idcirco tamen ad eius assequutionem eiusdem naturae actibus membra harum societatum connituntur; quemadmodum communis est finis partium omnium corporis animalium eorumdem incolumitas, quin tamen propterea idem actus partibus membrisve omnibus attribuatur.

[1] De his cf. quae disputata fuerunt laudato C. Pass. comment. de ecclesia Christ. vol. II. l. III. c. 35.

[2] Haec non eo pertinent, ut fidem caritatemque internam excludamus, sed potius ut externam utriusque manifestationem tamquam characterem asseramus, quo visibilis ecclesiae membrum conspicue constituatur ac dignoscatur.

[3] Recepta est apud Patres omnes doctrina, quam Tertullianus de praescriptt. c. XX. his omnino verbis complexus est: „Itaque tot et tantae ecclesiae una est illa ab Apostolis prima ex qua omnes. Sic omnes primae et omnes apostolicae, dum unam omnes probant unitatem, dum est illis communicatio pacis et appellatio fraternitatis et contesseratio hospitalitatis, quae jura non alia ratio regit, quam ejusdem sacramenti una traditio.„

Tertullianus.

[4] Con. haer. l. III. c. 3.

naeus [1]: „Hac ordinatione et successione ea quae est ab Apostolis in ecclesia traditio et veritatis praeconatio pervenit usque ad nos. Et est plenissima haec ostensio, unam et eamdem vivificatricem fidem esse, quae in ecclesia ab Apostolis usque nunc sit conservata et tradita in veritate.„ Hac igitur fide, prout interna est, vita ac salus singulorum ecclesiae membrorum obtinetur ac promovetur; eademque fide quatenus externa et socialis est, ecclesiae ostenditur unitas simul ac universalis eiusdem diffusio. Quod egregie rursum Irenaeus [2] edisserit: „Hanc praedicationem, ait, quum acceperit, et hanc fidem quemadmodum praediximus, ecclesia et quidem in universum mundum disseminata, diligenter custodit quasi unam domum inhabitans, et similiter credit iis, videlicet quasi unam animam habens et unum cor, et consonanter haec praedicat et docet et tradit, quasi unum possidens os.„

V. *Romana unitas ipsa est ἐν ἀτόμῳ vera Christi ecclesia.*

Infertur. 25. Ex hac jamvero romanae unitatis [3] indole ac specie, quam ex collatione cum explorata facie ecclesiae Christi descriptam oculis objecimus, non pauca neque levissimi momenti sunt quae consequuntur. Et illud inprimis obvium, romanam unitatem non utcunque converti ac promiscue accipi cum ecclesia Christi, sed illam prae hac, quae universalis est concretam esse ac prope personalem appellationem et rem, quae adeo signanter expresseque denotat et in qua carnem prope habent et ossa, quaecunque de vera Christi ecclesia praedicari solent. Verum juverit alia nonnulla inde pendentia hisce corollariis complecti.

Cyprianus. 26. Corollarium I. Quum ex superius probatis in sola romana unitate ecclesiae veritas collocata fuerit, consequitur tantam illius necessitatem esse, quanta est necessitas verae ecclesiae: hanc porro romanae unitatis necessitatem a pluribus Patribus

---

[1] Ibid. n. 3.

[2] Ib. l. I. c. 10. n. 2. *Τοῦτο τὸ κήρυγμα παρειληφυῖα καὶ ταύτην τὴν πίστιν, ὡς προέφαμεν, ἡ ἐκκλησία, καίπερ ἐν ὅλῳ τῷ κόσμῳ διεσπαρμένη, ἐπιμελῶς φυλάσσει ὡς ἕνα οἶκον οἰκοῦσα καὶ ὁμοίως πιστεύει τούτοις, ὡς μίαν ψυχὴν καὶ τὴν αὐτὴν ἔχουσα καρδίαν, καὶ συμφώνως ταῦτα κηρύσσει καὶ διδάσκει καὶ παραδίδωσιν, ὡς ἓν στόμα κεκτημένη.*

[3] Duo addi insuper deberent, quod nimirum societas romana est ex sese et perfecta et independens: quum vero utrumque caput diserte iis adstruatur, quae disputando prosequemur continuo, praetermitti nunc merito poterant.

diserte adstructam vidimus, adeoque vi canonis interpretationis harmonicae colligitur, de ipsa nominatim romana unitate intelligenda esse sive quae alii de necessaria salutis societate scripserunt, sive quae Cyprianus [1] generatim de vera Christi ecclesia praedicavit: „Illius foetu nascimur, illius lacte nutrimur, spiritu ejus animamur. Adulterari non potest sponsa [2] Christi, incorrupta est et pudica. Unam domum novit, unius cubiculi sanctitatem casto pudore custodit. Haec nos Deo servat, haec filios regno quos generavit assignat. Quisquis ab ecclesia segregatus adulterae jungitur, a promissis ecclesiae separatur. Nec perveniet ad Christi praemia, qui relinquit ecclesiam Christi. Alienus est, profanus est, hostis est. Habere jam non potest Deum patrem, qui ecclesiam non habet matrem. Si potuit evadere quisquam, qui extra arcam Noë fuit, et qui extra ecclesiam foris fuerit evadit?„

VI. *Orientalium consensio et dissidium.*

27. Corollarium II. De hac salutis societate disserit etiam Macarius, vinnicensis Russiae episcopus, theologiae dogmat. t. II. §. 170. pp. 241 sq. Vers. gall. Paris. 1860, ubi probata ex Act. IV. 12. Joh. III. 36. necessitate fidei, ut quis consequatur salutem, concludit, „veram Christi deque Christo doctrinam nonnisi in ecclesia et per ecclesiam conservari et praedicari, sine qua re veram fidem ne exsistere quidem posse doctore Paulo Rom. X. 17.„ Egregie: sed quum plures religiosae societates titulum ecclesiae sibi vindicent, et inter eas alia dicatur romana et alia semet orthodoxam appellet: quaenam ea est ecclesia, in qua et per quam vera doctrina Christi deque Christo conservata iugiter praedicataque integra fuit? Si orthodoxorum Patrum auctoritati standum sit, non aliam illam esse iudicabimus, quam quae romanae appellatione semper excelluit romanaque quam diximus unitate absolvitur. *Macarius vinnicensis.*

VII. *Romana unitas est societas iuris positivi.*

28. Corollarium III. Ex quo romana unitas legalis est infertur, non esse jus naturae perscrutandum, sed investigandam *Societas iuris positivi.*

---

[1] De unit. eccles.

[2] Ita a s. Bernardo ep. 191. ad Innocent. pontif. romana unitas nuncupatur: „Tibi, inquit, commissa est sponsa Christi, amice sponsi. Tuum est, eamdem uni viro virginem castam exhibere Christo.„

voluntatem Christi, ut de natura ecclesiae ejusque indole, forma et proprietatibus iustum iudicium feratur.

VIII. *Romana unitas est societas iuris naturalis hypothetici.*

1. *Habitus iuris naturalis ad ius ecclesiasticum.*

29. Scholion. Non propterea tamen jus naturae ab jurisprudentia ecclesiastica penitus ablegandum, immo eodem et peropportune utendum censemus. Quod ut intelligatur, explicari paucis debet discrimen inter jus naturae absolutum et hypotheticum [1].

2. *Jus naturae absolutum.*

Duplex itaque in ordine ethico et juris objectorum genus distinguitur, quorum alterum ea complectitur, quae intrinsecus honesta vel inhonesta sunt, seu quae honestatis vel inhonestatis naturam nullo licet supposito hominum facto et induunt et retinent.

3. *Jus naturae hypotheticum.*

30. Alterum ea suo ambitu comprehendit, quae nonnisi supposita libera aliqua determinatione honesta vel inhonesta censeri possunt. Integrum ex rei natura tibi est tua retinere illisque pro arbitrio uti. At si libere paupertatem voveris, utrumque ex hypothesi inhonestum fit, atque ipso jure naturae vetitum. Rursum, servitus jure naturae non inducitur. Sed fac legitimo aliquo titulo inductam illam esse, continuo jure naturae certa quaedam officia heris atque servis praescribuntur. Tandem provincias ac regna certis subdi dominiis, jus naturae neque vetuit neque praescripsit: verum enim vero semel illis legitime possessis, jure naturae retinentur atque servantur.

Juris reductio.

31. Quae prioris sunt generis ad jus naturae absolutum, quae posterioris ad jus naturae hypotheticum referuntur. Videlicet jus naturae non de iis tantum disponit, quae citra liberam determinationem exsistunt; sed de iis etiam, quae liberae determinationis actum consequuntur, et quae propterea directe ex jure naturae non fluunt, sed reductive, ut ajunt, atque ex hypothesi sive suppositione juris naturalis esse censentur.

4. *Ecclesia non est iuris absoluti positive.*

32. Jamvero ecclesiastica societas neque suam debet originem juri naturae, neque in se spectata jure naturae praecipitur. Est enim societas positivae institutionis, atque praeter omnem juris naturae

---

[1] De qua partitione agunt pluribus Hugo Grotius de jure belli et pacis l. I. cap. I. §. 10. n. 4. tum auctor anonymus principiorum juris publici ecclesiastici catholicorum ad statum Germaniae accommodatorum cap. XVII. §. V. coll. Suares. de legib. l. III. c. 4. n. 6. c. 12. nn. 13 sqq.

exigentiam. Non continetur ergo eo objectorum genere, quae ad jus naturae absolutum pertinent. Sed vis nulla, nulla facultas se ultra limites exserit proprii objecti. Ergo ex absoluto jure naturae nulla peti potest saltem positiva determinatio et praescriptio, quae societatem ecclesiasticam attingat.

33. Dixi nullam peti posse saltem positivam determinationem: etenim negative absoluto jure naturali praescribitur, societatem ecclesiasticam neque ejusmodi esse posse (si forte sit), quae fini assequendo sit impar, neque iis qualitatibus instructam, quae certis compertisque hominum juribus atque officiis adversentur. Itaque in quaestione de societate ecclesiastica usus juris naturalis absoluti est negativus. *5. Societas iuris naturalis absoluti negative.*

34. Sed aliter omnino de usu juris naturalis hypothetici censeri debet. Fac enim certo constet, et libera supremi Domini voluntate societatem ecclesiasticam esse institutam, atque ita esse institutam, ut simul ab eodem suam formam acceperit, qua fiat, ut ea sit societas inaequalis, imperio praedita, a civili independens, atque in suo genere perfecta, et numeris omnibus absoluta: hoc facto semel admisso, plura illico sibi vindicat jus naturae hypotheticum. *6. Usus iuris naturalis hypothetici.*

35. Eo videlicet praescribitur omnibus, ut huic societati [1] nomen adjungant: eo praescribitur ut relatio superioritatis et obedientiae sarta tecta custodiatur: eo praescribitur, ne quis legitimos impediat actus magistratuum ecclesiasticorum: atque ne singula recenseam, eo praescribitur, ut jura omnia sive immanentia sive transeuntia, quae societatis perfectae ac independentis naturam comitantur, ecclesiasticae societati pro sua natura atque indole tribuantur. Eximius est ergo usus juris naturalis hypothetici in quaestionibus de ecclesiastica societate, cujus institutione factum est, ut illius ambitus maxima accessione amplificaretur. Quanti vero momenti sit hoc animadvertisse, uno id digito indicasse iuverit. Videlicet ubi regnum Christi, ecclesia catholica, romana unitas obtinet, dominatur ac viget, ibi legibus eius infractis violatisque eiusdem iuribus, infringitur violaturque norma iuris divina, norma iuris ecclesiastica, sed et norma iuris naturalis, et qua- *7. Officia inde sequentia.*

---

[1] Ita etiam statuit laudatus plus semel doctus vir Macarius, vinnicensis episcopus, theol. dogm. t. II. §. 168. p. 228. *Macarius vinnicensis.*

tenus illa civitatis conditione gaudebat, norma iuris humana. Atqui normae iuris cuique sua respondet ratio officii, custodiendi illa atque tuendi. Apparet ergo quantis nominibus ac titulis eiusmodi officia apud eos quibus incumbunt urgeantur. Tum apparet, licet inter iuris officiique titulos exsistant quandoque mutabiles, inter recensitos tamen titulos qui ad ecclesiam spectant, immutabiles ex sese esse semperque urgentes, qualis et is est quem e iure naturae deprompsimus. Atque hinc tandem apparet, iuribus illis officiisque resisti non posse, quin rationali ipsi naturae insitisque eidem iuris principiis repugnetur.

IX. *Romana unitas aliena est a democratia.*

Infertur. 36. Corollarium IV. Ex inaequalitate, quam romana societas sua natura dicit necessario infertur I. vim, praesidium tutelamque ejus commissam non esse communi fidelium coetui sive christianae *δημοκρατίᾳ*, quum credentium populus inferior obnoxiusque exsistat. *Distinctio classium.* Sane Christum noluisse ut sua ecclesia *δημοκρατικῶς* regeretur, omnia probant: verba institutionis, oracula gestaque Apostolorum, disertae Patrum sententiae, atque universa christiani nominis historia. *Eusebius.* Ad rem Eusebius [1]: „Tres in unaquaque ecclesia ordines, primus quidem praepositorum, duo vero eorum qui in Christi ecclesia obnoxii sunt in duos rursum ordines diribentur, in eum scilicet qui fidelium est, et in eorum qui nondum lavacro regenerationis dignati fuerunt.„ Et [2] idem: „Civitas terrae vocabitur una civitas. Ipsa quippe sola in universa terra Deo civitas constituitur, ita ut [3] de illa dicatur, Gloriosa dicta sunt de te, civitas Dei. Quinque autem civitates in ecclesia fuerint diversae instituti et officii ratione: quinque enim ordines distinctos

---

[1] Demonstrat. ev. l. VII. c. 1. *Τρία καθ' ἑκάστην ἐκκλησίαν τάγματα, ἓν μὲν τὸ τῶν ἡγουμένων, δύο δὲ τὰ τῶν ὑποβεβηκότων, τοῦ τῆς ἐκκλησίας τοῦ Χριστοῦ λαοῦ εἰς δύο τάγματα διῃρημένου, εἴς τε τὸ μὲν πιστῶν καὶ τῶν μηδέπω τῆς διὰ λουτροῦ παλλιγγενεσίας ἠξιωμένων.*

[2] In Is. XIX. 18. *Πόλις τῆς γῆς κληθήσεται ἡ μία πόλις. Αὕτη γὰρ μόνη καθ' ὅλης γῆς ἵδρυται τῷ θεῷ πόλις, ὡς ἐρεῖσθαι περὶ αὐτῆς, Δεδοξασμένα ἐλαλήθη περὶ σοῦ, ἡ πόλις τοῦ θεοῦ. Πέντε δὲ πόλεις ἐν ἐκκλησίᾳ εἶεν ἂν αἱ διάφοροι πολιτεῖαι. Πέντε δὲ τάγματα διῃρημένα, ἤγουν τρεῖς ἀριθμήσεις, τό πρῶτον τῶν προέδρων τόγμα, καὶ τὸ δεύτερον τῶν πρεσβυτέρων, τό τε τῶν διακόνων τὸ τρίτον, καὶ τῶν ἐν Χριστῷ πεφωτισμένων τέταρτον, καὶ ἐπὶ τούτοις τῶν ἐν εἰσαγωγῇ τυγχανόντων.*

[3] Ps. LXXXVI. 3.

vel etiam tres numerari: primus est praesidum ordo, secundus presbyterorum, diaconorum tertius, quartus illuminatorum in Christo, postremus eorum, qui [1] initiantur.„ Atque hisce aequalis omnium conditio eademque in omnibus iurium officiorumque ratio penitus excluditur. Infertur II. romano Pontificis regimini imperioque resisti non posse, quin Christi corpus dilaceretur ejusque ovile dispergatur.

X. *Romana unitas a potestate civili neque regitur neque avellitur.*

37. Corollarium V. Propterea quod romana unitas indolem praefert societatis supernaturalis, jure quidem I. colligitur, rerum publicarum moderatores, quorum potestas naturae ambitu circumscripta ad naturalem finem ordinatur, ea instructos facultate auctoritateque censeri non posse, quae catholicae eidemque romanae unitati efformandae moderandaeque par sit. Quae quidem potestas et auctoritas quum catholica loco et tempore esse debeat, quemadmodum romanae unitatis praesidibus collata divinitus est [2], ita imperiorum civilium principibus inesse eo vel minus potest, quod illorum dominium varium adstrictumque limitibus sit; unde non tam consequeretur unitas universalis ac constans, quam generalis quaedam scissio atque divisio secundum illud [3] „cujus est regio ejusdem et religio.„

Infertur.

Rerum natura.

38. Nullatenus vero inde II. consequitur, exulare excludique ab illa, romana inquam unitate, oportere quaecunque ad naturalem hominum societatem faciunt: quemadmodum ex eo quod Deus institutum voluerit ordinem supernaturalem nemo qui sapit concludet, naturae ordinem penitus sive everti sive in se et οὐσιωδῶς immutari; quando e contrario hic ab illo et supponatur primum et porro juvetur, provehatur [4] multoque nobilius perficiatur. Quum

Societas sacra exigit naturalem.

Suares.

---

[1] De postrema classe cf. Car. Pass. de eccles. Christ. l. III. c. 39.

[2] Qua de re egregius theologus Martinus Becanus singularia scripsit opp. vol. III. quibus primatum regis Angliae confutavit, coll. Suares. de legib. l. III. c. 4.

[3] Hoc invaluit axiomatis instar apud reformatores, qui imperium non minus quam inconsutilem Christi vestem in partes distraxere: de quibus luculentissime Döllinger in op. Die Kirche und die Kirchen p. 52 sqq.

[4] Ad rem Suares. de legib. l. III. c. 6. n. 9. „Est ergo summa rationis quod finis civilium legum per se bonus est, et christianis etiam necessarius; ergo etiam leges quae ad illum ordinantur, et magistratus a quibus condi possunt, sunt in ecclesia necessarii. Item hic ordo naturalis est, et gratia

igitur naturalis quoque hominum societas sine religione ejusque cultu [1] neque possit neque exsistere debeat: haec ipsa societatis humanae facies per divinam illam institutionem religiosam immensum provehitur [2], exaltatur, superneque absolvitur. Scilicet quo pacto generatim supernaturalis ordo se habet ad naturalem, quemque in modum ille excipiendus ab isto est; ita speciatim humana societas qua naturaliter religiosa est ad supernam, catholicam eamque romanam religionem unitatemque referatur seseque habeat oportet: adeoque non avulsionis sed copulationis habitus inter utramque intercedat necesse est: qui vero humanam societatem ab ecclesiastica avellere ac separare conantur, ii in ordine sociali idem agere satagunt, quod in ordine theoretico et practico ab illis contenditur, qui a ratione atque natura superrationalia ac supernaturalia excludunt.

XI. *Humana societas iure naturae absoluto religiosa, hypothetico catholico-romana.*

Religionis publicae necessitas.

39. Parergon. Jure sane naturae uti singuli homines, ita hominum societas ad exhibendam Deo religionem publicam obstringitur. Certis argumentis utrumque ab illis conficitur, qui officia juris naturalis [3] enarrant atque demonstrant. Nos de obligatione,

---

non destruit naturam, sed perficit, et Christus non prohibuit hunc modum regiminis; ubi enim est prohibitio? Tandem sine potestate temporali et civili non posset spiritalis ordo et regimen protegi vel conservari, ut ipsa experientia docet: unde egregie dixit Nazianzenus dicta orat. 17. Submittamus nos tum Deo tum aliis tum iis qui imperium in terra gerunt: Deo quidem omnibus de causis, alii autem aliis propter caritatis foedus, principibus denique propter ordinem publicaeque disciplinae rationem.„

[1] De quo in scholio sequenti.

[2] Huc etiam spectat cl. Manning vir doctrina aeque ac pietate insignis in opusc. de antichristo praelect. III. p. 58 sqq. tum Hetting. or. acad. de organism. disciplinar. universit.

[3] Cf. iuris naturae et gentium principia et officia .. explicata doct. exim. Francisco Suarez S. J. digessit notisque perpetuis illustravit Joh. Bapt. Guarini S. J coll. Becan. opusc. VI. duell. de primat. reg. c. 2. Suares. de relig. tr. I. et de legib. l. III. c. 12. n. 9. de potestate legislativa societatis naturalis itidemque civilis ita habet: „De rebus pertinentibus ad Deum curam habuerunt leges civiles ductu naturae, quia observantiam religionis putarunt semper ad incolumitatem reipublicae maxime pertinere: unde opinor in statu purae naturae, si in illo esset res publica verum Deum naturaliter colens, potuisse leges civiles prohibere et punire docentes cultum falsorum Deorum, aut falsas opiniones de Deo et similia.

cui singuli obnoxii sunt, utpote compertissima, plene silebimus; at perpauca dabimus, quae obligationem totius societatis, quatenus societas est, patefaciant.

Igitur persuaderi a. haec obligatio ex eo potest, quod ex historiae monumentis sit exploratissimum, nullam adhuc exstitisse hominum societatem, quae religionem non publice coluerit, atque colendam a se esse non existimarit. *Historia.*

Nec b. immerito: quandoquidem si collata divinitus beneficia, si singularis providentia, si perennis a divino nutu dependentia exigunt, ut singuli quique religionis officia expleant; ea quoque expleri ab integra societate, cuiuscumque formae regimen eius fuerit necesse est, quippe quae hisce omnibus cum Deo relationibus ac prope nexibus devinciatur. *Officii titulI.*

Praeterea c. fallit neminem, ad ea praestanda societatem teneri, quae si desint, ut ipsa pariter dilabatur, nessario continget. Atqui hujusmodi est religio.

Rursum d. ad ea obstringitur societas, quae hominum natura, quibus ipsa coalescit, efflagitat ac nativo sibi vindicat jure. Sed ii sunt homines, qui neque possint neque debeant non erumpere in publicos actus, quibus suam in Deum religionem faciant testatissimam.

Ad haec e. nequit societas vinculum illud abrumpere, quo ejus membra potissimum continentur, et quo ad exsequenda mutua officia [1] permoventur efficacius. Porro hoc vinculum est ipsa publica religionis professio. *Suares.*

---

[1] Nisi adsint frena et incitamenta interna quae homines contineant, eosque ut plurimum saltem ad sua praestanda officia impellant, solis adhibitis mediis externis diu certe hominum societas regi nequit. Huius rei probationem rerum praebent naturae, testem dat historia, suffragatorem non spernendum habeo Suarem de legibus l. III. c. 12. n. 5: „Quod autem politici dicunt, non posse rempublicam temporalem vel regnum temporale conservari, si in omnibus regulam honestatis aut divinae legis sequatur, omnino falsum est; nam si loquamur de honestate naturali, potius illa necessaria est ad pacem et felicitatem politicam reipublicae humanae, ut etiam ipsa iura civilia fatentur, quae statim referemus. Si vero sit sermo de integritate fidei et religionis, ipsa experientia constat, nulla re melius conservari regna, etiam in temporali felicitate, quam obedientia et conservatione catholicae fidei ac religionis, de quo argumento videri possunt quae copiose scribit Bozius de signis eccles. praecipue ll. 11. et 19. Bellarm. l. IV. de

Insuper f. sedulam omnino operam navare societas debet, ne in membris, quibus constat, haec creetur persuasio, ab ea illud abesse, quo despoticum regimen [1] validius impeditur. Sed publica religionis professione neglecta, non possent cives non descendere in istam opinionem; quandoquidem bene noverint, supremos imperantes semper atque efficaciter una contineri posse religione, ne potestate, qua ad aedificationem pollent ad destructionem abutantur.

Subditorum fides — obedientia — iuramentum.

Tandem g. nequit non vehementissime improbari, quod iis se privet societas, quibus et de subditorum fide firmius redditur certa, et quibus in periculosissimis rei publicae adjunctis animi subditorum erigi dumtaxat confirmarique unice possunt. Ita vero sese gereret societas, quae publicam religionem insuper haberet. Nam et medium, quo certa firmius redditur de subditorum fide, est publicum jusjurandum: et eae quandoque ingruunt in rempublicam tempestates, quibus ne obruantur subditi, unica efficit religio. Animo reputetur romanae reipublicae conditio post cannense excidium: recolatur Senacherib obsidio: recogitetur Holofernis oppugnatio.

---

not. eccl. cc. 17. et 18. et Petr. Ribadeneira l. I. de princ. christ. cc. 13 sq. et fere per totum illud opus prudenter satis ac erudite.„

[1] Hinc videri mirum posset, nisi fraus esset aperta, ab illis hominibus prope furiosorum instar oppugnari vehementius religiosam societatis humanae professionem, qui pariter reges ac principes despotismi accusant. Sed enimvero id propterea, quod norunt tamdiu in tuto esse imperium regis, quousque in hominum societate viget religio unitatis romanae. Egregia sunt quae ad rem Thomas Morus observavit in responsione ad Lutherum c. 10: „Cui sedi (romanae), ut obedienter, inquit, obtemperem, quum illa movent omnia, quae docti sanctique in eam rem collegerunt, tum illud profecto non movet minime, quod toties sumus experti, non modo neminem inimicum fuisse christianae fidei, qui non illi sedi bellum simul indixerit, sed etiam neminem umquam exstitisse, qui se professus sit eius sedis inimicum, quin idem paulo post se declaraverit insigniter Christi et religionis nostrae capitaliter hostem et proditorem esse. Valde me movet et illud, quod si ad istum modum hominum vitia imputentur officiis... omnis magistratus corruet, et erit populus absque rectore, sine lege et ordine. Quae res si aliquando contingat, id quod aliquot Germaniae locis videtur imminere, tum demum magno cum damno sentient, quanto magis intersit mortalium, vel malos habere rectores quam nullos.„

Thom. Morus.

XII. *Officia potestatis civilis erga romanam unitatem, mutuus utriusque societatis habitus.*

40. Corollarium VI. Hinc colligimus I. sicuti jure naturae, quod hypotheticum diximus, singuli quique tenentur, romanae unitati sibi compertae nomen dare datamque fidem servare; ita eodem jure hominum societates pro facultate ac viribus tenentur, illius religionem cultumque profiteri receptumque [1] custodire. *1. Respublica christiano-romana.*

Rursum II. colligimus, quo officio principes satagere tenentur, ut religio [2] adversus Deum in societate custodiatur atque integre *2. Officium christiani principis.*

---

[1] Idque ex iis omnibus nominibus et titulis, quos superiori scholio adduximus: qui quidem valent pro societate cujusvis formae; romana namque unitas sicut violentas injustasque obtinentis formae immutationes probare nequit: ita cum quavis ceteroquin forma conciliatur: cf. Suares. de legib. III. c. 1 sqq.

[2] Sed nemo inde deducat principum in religioso negotio potestatem: quod enim inde sequitur, hoc unum est, principi quoque commissam curam religionis. Sed quae? Nimirum eatenus principi religionis cura cordi sit, quatenus absque religione civilis societatis finis, qui praesenti felicitate proxime continetur, obtineri nullatenus potest. Ergo illius jura ad ea omnia et sola religionis officia jubenda extenduntur, quae praetermitti absque discrimine socialis felicitatis non possunt. Porro ita jura illa extenduntur eo usque, ut haec officia vere proprieque civili auctoritate juberi intelligantur, non prout homines caros Deo reddunt, sed prout necessaria sunt civibus, ne ipsius civitatis finis pessum eat. Scite b. Thomas (1. 2. q. 99. art. 3.): „Lex divina principaliter instituitur ad ordinandum homines ad Deum; lex autem humana principaliter ad ordinandum homines ad invicem: et ideo leges humanae non curaverunt aliquid instituere de cultu divino, nisi in ordine ad bonum commune hominum.„ Hinc si de publico religionis exercitio totius societatis agitur, quis infitias iret, posse et vero etiam debere principi illius administrationem cordi esse? Istud equidem evincunt, quae nuper in medium protulimus. Duo nihilominus sunt non indigna notatu, quorum alterum est: jure quidem naturae praescribi religionis exercitium ab ipsa societate praestandum, at minime praescribi, quinam debeat religioni praeesse. Unde Suares in opere inscripto: Defensio fidei catholicae contra anglicanae sectae errores, lib. III. cap. 9. docet, ante legem Moysis nonnisi jure gentium vel moribus populorum factum fuisse, ut cura sacrorum principibus crederetur. *Quousque pateat.* *S. Thomas.* *Suares.*

Alterum vero est, quod princeps si consideretur tantum ut civili praeditus auctoritate, atque ex ea agens, non versetur circa sacra, quatenus sacra sunt, et ad assequutionem supremae beatitatis ordinantur, sed quatenus media sunt ad civilem societatis felicitatem tuendam promovendamque necessaria. „Nam, ait Suares (De legibus lib. III. cap. 11. n. 6.), finis proximus et objectum cujusvis potestatis proportionantur inter se et fini ultimo ejusdem potestatis; sed potestas civilis non habet pro fine ultimo felicitatem vitae futurae; ergo non versatur circa sacra, quatenus ad hanc felicitatem capessendam diriguntur.„

exerceatur: eodem illos ὑποθετικῶς adstringi ut in sua cui praesunt societate romanae unitatis jura serventur. Tenentur porro arctissimo [1] eoque etiam naturali.

41. Nihil desiderari ad rem illustrius poterit, quam quod [2] Martinus Becanus respondet ad quaestionem: „Quod sit ergo officium regis circa ecclesiam?„ Detracta regibus et principibus saecularibus jurisdictione exteriori in ecclesiam pergit: „An igitur regibus in regimine ecclesiastico nihil reliquum est? An plane ab hac cura exclusi et immunes sunt? Dicam paucis, quod res est: et dabo Caesari quae Caesaris sunt, Deo quae Dei. Ac **primum** illud statuendum est contra politicos, reges et principes christianos non ita debere sua regna ac provincias administrare, ut omnem religionis et ecclesiae curam abjiciant, tanquam nihil ad se pertinentem, et usurpent illud donatistarum: Quid imperatori cum ecclesia? quod tantopere reprehendit Augustinus l. II. c. litt. Petil. c. 92. Hoc enim et sacris litteris et bonorum regum exemplis, et rationi ipsi contrarium est. Laudantur in sacris litteris David, Ezechias, Josaphat, Asa et Josias, quod cultum ac religionem Dei vel promoverint vel restauraverint. Eorum exemplum in novo Testamento imitati sunt Constantinus M., Theodosius, Honorius, Carolus M., Ludovicus et alii. Contra vero non solum reprehensi, sed etiam puniti sunt, qui religionem et fidem contempserunt, ut Jeroboam, Achab, Achaz, Amon. Et ratio est, quia reges qui in sublimi potestate positi sunt, sicut ipsi ab inferioribus jure honorantur; sic Deum ipsum, a quo potestatem consequuti sunt, et cui jure naturae [3]

Martinus Becanus.

Augustinus.

---

[1] Cf. Suares. de legib. l. III. c. 11. n. 11. c. 12. n. 5. 9. Becan. vol. III. duell. de primatu regio opusc. VI. l. 3. c. 8. de fide haereticis servanda. l. II. c. 10. Zallinger instit. jur. nat. eccles. pub. l. III. c. 6. et de unica religione stud. cath. princip. in repub. conserv. l. unus auct. Joh. Lennaeo ap. Zachar. thes. t. VI. opusc. 6. Taparelli sag. teor. di dritto nat. vol. I. nn. 869 sqq.

[2] Duell. de primatu regio l. III. c. 8. vol. III.

Doctrinae capita.

[3] Est ergo ex hypothesi receptae divinae revelationis officium principis naturale, semet Deo revelanti subiicere. Unde generatim animadvertendum est contra eos qui aliter opinari videntur a) potestatem civilem residere in hominibus aliter licet et aliter pro diversitate formae regiminis: ita vero b) fieri, ut illa consideranda non sit in abstracto ut aiunt, sed in concreto, quemadmodum loqui mos est, quatenus regentibus inest, in subiecto nimirum individuoque illa ornato: hinc c) quod de aliis hominibus tam a philosophis quam a theologis effertur, id de potestate pollentibus similiter valere, videlicet non dari in illis actus quos indifferentes appellant; sed hoc posito d) vix erit qui contenderit, licere superiori potestati christianae eique

subjiciuntur, merito honorare debent, et ipsius gloriam ac majestatem ubique propagare. Unde Agapitus ad Justinianum imperatorem: Honore quolibet sublimiorem cum habeas dignitatem, o imperator, honora super omnes qui haec te dignatus est Deum: quoniam juxta similitudinem coelestis regni tradidit tibi sceptrum terrenae potestatis, ut homines edoceres justi custodiam, et eorum, qui quasi canes adversus ipsam rabiunt, insectareris latratum, tum ipsius obtemperando legibus tum subditos tibi regendo pro jure.„ *Agapitus P.*

Secundo statuendum est, eosdem reges et principes christianos, nullo modo in suis regnis ac provinciis debere admittere libertatem fidei ac religionis, si impedire [1] eam possint. Haec enim libertas plane illicita et christianae doctrinae contraria est. Nam ut alibi dixi, multa in evangelio sunt, ex quibus constat, Christum unam fidem mandasse, variam ac multiplicem prohibuisse. Ac I. voluit unam tantum ecclesiam, unum ovile, unum pastorem, unum baptisma. Haec autem sine unitate fidei consistere non possunt. II. voluit discipulos suos attendere a falsis prophetis: at in multiplici religione necesse est alios esse veros, alios falsos prophetas. Ergo si hi excludendi sunt, fides una retinenda est varia ex- *3. Libertas religionis.*

catholico — romanae in muneris sui exercitio semet penitus ἀδιαφόρως erga ordinem Dei revelantis habere: hinc e) quod in ordine morali ac religioso apud alios homines usuvenit, ut nisi progrediantur regredi soleant, idem apud pollentes potestate contingit historiaque teste contigit, ut nisi ecclesiae prodesse velint obesse incipiant. Cf. Taparelli sag. teor. di dritt. nat. vol. I. ad not. CX..

[1] His significatur quidem, civilem societatis catholicae potestatem officio teneri, quantum ex se est variarum sectarum cultum impedire, adsignificatur vero, contingere posse, ut impedire illud nequeat. Sed aliud est, non posse impedire, et aliud penitus esse indifferentem: aliud pati ut inducatur inductumque tolerare, et aliud sinere, efficere, suadere, juvare ut inducatur, inductumque protegere, promovere juribusque ac privilegiis cohonestare: aliud denique est prudenti erga illum oeconomia uti, et aliud aequali erga illum officio affici quo erga veram agnitamque Christi ecclesiam. Quodsi vero eo ventum sit, ut plena cultibus quibuslibet, dummodo christiani audiant neque opponantur bonis moribus, concedatur a civili potestate ubique libertas, tum enimvero, quae est opusc. de antichristo egregii Dr. Maning sententia, civilium quos vocant statuum universalis obtinet apostasia, et societas qua talis non est amplius christiana ac catholica: tum restituta rursum est lex imperii romani alia licet forma, dum apud illos, veteres inquam romanos, omnibus toleratis gentilium, ut Leo M. ait, superstitionibus una premeretur veritas christiana; apud nos vero omnibus christianorum erroribus permissis una prematur veritas catholica eaque romana. Valet enimvero et heic generalissimum sapientiae aeternae effatum: „Qui non est mecum contra me est.„ *Tolerantia.*

plodenda. III. voluit ecclesiam suam perpetuam, cui omnes inferorum potestates resistere non possint. At perpetua esse non potest, si una omnium fides non sit: quod ipse testatur Luc. XI. 17. Apostoli disertis verbis idem confirmant Rom. XVI. 17. Gal. I. 8. I. Cor. I. 10. XIV. 33. Ephes. IV. 5. Hebr. XIII. 9. Vides quam serio, quam sollicite et graviter hortetur Apostolus, ut unitatem fidei retineamus. Quod non faceret, si libertas indulgeri possit. Plura in hanc sententiam dicta sunt in disputatione, De fide haereticis servanda. [1] Nunc illud solum addo ex Augustino (ep. 66.): Quae est pejor mors animae, quam libertas erroris?„

Augustinus.

---

[1] C. 10. ubi de hac re ita statuendum esse censet: 1) „Libertatem religionis omnino esse illicitam et divino praecepto repugnantem. 2) Reipublicae esse perniciosam. 3) Non debere praecipi, approbari aut introduci ab ullo principe aut magistratu; sed potius omnibus modis, si commode fieri potest, impediri et profligari. 4) Si autem commode impediri non possit, nisi cum majori damno aut malo reipublicae, aliquo tempore tolerari posse. 5) Et si hoc modo toleretur, et in pactum deducatur fidem servandam esse.„ Quod porro affirmat tertio loco, id cum ex prioribus duobus capitibus, tum ex imperatorum legibus, tum e mente Patrum occidentalium aeque ac orientalium comprobat. Et ex illis quidem eximio utitur specimine Ambrosii, cui „mandabat imperator Valentinianus, a Justina matre femina ariana persuasus, ut templum permitteret arianis, asserens tunc pacem et tranquillitatem fore in imperio, si illis etiam, qui diversae sunt religionis (ita pariter hodiedum qui τῇ πολιτείᾳ inserviunt argumentari solent) certus locus, in quo habeant exercitia, concedatur. Quid porro Ambrosius? Audi quid ipse de se scribat in ep. 33. al. 20. ad Marcellinam sororem: „.... Convenerunt me primo principes virtutum viri comites consistoriani, ut et basilicam traderem, et procurarem, ne quid populus turbarum moveret. Respondi, quod erat ordinis, templum Dei a sacerdote tradi non posse... Convenior ipse a comitibus et tribunis, ut basilicae fieret matura traditio, dicentibus imperatorem jure suo uti, eo quod in potestate ejus essent omnia (en statum quem vocant omnipotentem!). Respondi si a me peteret quod meum esset, i. e. fundum meum, argentum meum, me non refragaturum; verum ea quae sunt divina, imperatoriae potestati non esse subjecta.... Allegatur, imperatori licere omnia: ipsius esse universa. Respondeo. Noli te gravare, imperator, ut putes te in ea quae divina sunt, imperiale aliquod jus habere. Noli te extollere, sed si vis diutius imperare, esto Deo subditus. Scriptum est: Quae Dei Deo, quae Caesaris Caesari. Ad imperatorem palatia pertinent, ad sacerdotem ecclesiae. Publicorum tibi moenium jus commissum est, non sacrorum. Iterum dicitur mandasse imperatorem: Debeo et ego unam basilicam habere. Respondi. Non tibi licet illam habere. Quid tibi cum adultera? Adultera est enim quae non est legitimo Christi conjugio copulata„ (sit ergo princeps a sectis protegendis haud secus quam ab adulteris alienus!). Et in fine epistolae: „Denique etiam speciali expressione Calligonus praepositus cubiculi mandare mihi ausus est: Me vivo tu contemnis Valentinianum? Caput tibi tollo. Respondi: Deus permittat tibi, ut impleas quod minaris.

Ambrosius.

Fortitudo apostolica.

42. Post haec, quae negantia potius sunt, quaerit Becanus, quod sit officium principum positivum ad ecclesiam quod attinet: „Quid ergo facient reges circa ecclesiam ac religionem, si neque curam illius omnino rejicere, nec etiam libertatem indulgere possunt?„ Dicam verbo. Debent illam tueri ac defendere: non ut Domini, sed ut ministri: neque ut judices, sed ut exsequutores. Hoc olim fecerunt christiani principes: hoc verbo testati sunt. Carolus M., *Carolus M.* ut alios omittam apud Sigonium l. IV. de regno Italiae sic ait: „Si ecclesiarum Dei servis magnificentiam nostram impertimus, eorumque studiis libenter obsequimur, id nobis ad augustalis excellentiae culmen proficere credimus.„... Idem Carolus cum a Leone Papa coronam imperii accepit, hac formula jurisjurandi usus est: „In nomine Christi spondeo atque polliceor ego N. imperator coram Deo et b. Petro Apostolo, me protectorem ac defensorem fore hujus sanctae romanae ecclesiae in omnibus, quatenus divino fultus sum adjutorio, prout sciero poteroque.„ (Refert Sigon. l. c.) Etiam pridem usu receptum est in Francia, Hispania, Anglia, Polonia, Hungaria, ut simili juramento obstringant se reges, et nominatim promittant, defensuros se ecclesiam ac religionem, eiusque praelatis debitam reverentiam et subjectionem praestituros. Neque hoc quidquam derogat ipsorum majestati, imo perhonorificum est. Recte Ambrosius (ep. 32.) ad Valentinianum *Ambrosius.* juniorem: „Quid est, inquit, honorificentius, quam ut imperator dicatur filius ecclesiae? Imperator enim bonus intra ecclesiam non supra ecclesiam est.„ Et Theodoricus Italiae rex ad Joannem *Theodoricus.* Pontificem: „Sum quidem judex palatinus, sed vester non desinam esse discipulus. Nam tunc ista recte gerimus, si a vestris regulis minime discedamus.„ Non ibo longius in hoc genere: ita Becanus concludit; nec nos diu longius ibimus: foret tamen piaculum praeteriisse quae graecorum theologorum maximus Gre-

---

Ego enim patiar quod episcopi: tu facies quod spadones.„ Digna Ambrosio responsio. Sed illa non minus digna, quam in geminis plane adjunctis Gainae duci dedit Chrysostomus. „Rem gestam (ita ibidem Becanus) scribit *Chrysostomus.* Theodoretus l. V. c. 33. Iste (Gainas) labe aspersus ariana postulabat ab imperatore unum ex sacris templis sibi dari.... Orat (imperator Joannem Chrysostomum) ut templo donato furentem illius animam placet. Cui nobilis ille vir: Ne, inquit, istud illi polliceare, neque sanctum dare canibus mandes. Nam nunquam equidem patiar, ut qui Deum verum sancte et auguste laudibus et hymnis celebrant, expellantur e sacro templo idemque tribuatur his, qui contra eum loquuntur blasphemias...„ Ita illi.

Gregorius naz. gorius nazianzenus ad rem egregie plane [1] disseruit. Et postquam ad cives timore perculsos „partim monendi partim consolandi gratia tamquam pastor gregis dixit, ad principes et praefectos„ conversus pergit: „Ad vos enim iam nostra se convertit oratio: ne alioqui inique omnino facere videamur, atque his quidem quae in rem futura sunt suadere, vestrae autem dignitati potentiaeque cedere (quasi vel pudore vel metu, christianam nostram libertatem demittentes) aut illorum quidem commodis consulere, vos autem negligere, quorum curam eo maiorem gerere par est, quod ea res plus in utramque partem momenti habeat, maiorque inde utilitas promanet, si negocium prospere successerit. Contrarium enim tum a nobis absit tum ab oratione nostra. Quid igitur dicitis? aut quid inter nos convenit? An me libere loquentem aequo animo feretis? Nam vos quoque imperio meo ac throno lex Christi subiecit. Imperium enim nos quoque gerimus; addo etiam praestantius ac perfectius: nisi vero aequum sit spiritum carni, et coelestia terrenis cedere. Hanc dicendi libertatem in optimam partem accipies, certo scio, utpote sacra sacri mei gregis ovis [2] magnique pastoris alumna, recteque iam olim a Spiritu ducta et instituta sanctaeque et beatae Trinitatis lumine aeque ac nos ipsi collustrata. Proinde brevis mihi ad te erit oratio.„ His delineat christiani principis formam: tum [3] ad eius officium progreditur:

---

[1] Or. XVII. n. 8. ed. Par. 1609. t. I. p. 271. A. — D. *Τί δὲ ὑμεῖς οἱ δυνάσται καὶ ἄρχοντες; Ἤδη γὰρ πρὸς ὑμᾶς ὁ λόγος μέτεισιν, ἵνα μὴ δόξωμεν πάντῃ τυγχάνειν ἄνισοι, καὶ τοῖς μὲν τὰ εἰκότα παραινεῖν* (persuadere quae officii sunt), *ὑμῶν δὲ τῇ δυναστείᾳ παραχωρεῖν, ὥσπερ αἰδοῖ τὴν κατὰ Χριστὸν ἡμῶν ἐλευθερίαν, ἢ δέει ἐκκλίνοντες· ἢ τῶν μὲν κήδεσθαι μᾶλλον, ὑμῶν δ' ἀμελεῖν, ὧν καὶ μᾶλλον φροντίζειν ἄξιον, ὕσῳ καὶ εἰς μείζω φέρουσα ἡ ῥοπὴ ὁποτέρως ἂν ἔχῃ, καὶ πλεῖον τὸ κατορθούμενον· τὸ γὰρ ἐναντίον ἀπείη* (coisl. *ἀπίει*) *καὶ ἡμῶν καὶ τοῦ λόγου. Τί οὖν φατε; καὶ τί διομολογούμεθα πρὸς ἀλλήλους; Ἆρα δέξεσθε οὖν παῤῥησίᾳ τὸν λόγον; Καὶ ὁ τοῦ Χριστοῦ νόμος ὑποτίθησιν ὑμᾶς τῇ ἐμῇ δυναστείᾳ καὶ τῷ ἐμῷ βήματι. Ἄρχομεν γὰρ καὶ αὐτοί· προσθήσω δέ, ὅτι καὶ τὴν μείζονα καὶ τελεωτέραν ἀρχήν· ἢ δεῖ τὸ πνεῦμα* (coisl. *εἰ δεῖ τῷ πνεύματι ὑποχωρῆσαι τὴν σάρκα, καὶ τὰ γήινα τοῖς ἐπουρανίοις*) *ὑποχωρῆσαι τῇ σαρκὶ, καὶ τοῖς γηΐνοις τὰ ἐπουράνια. Λέξῃ τὴν παῤῥησίαν, οἶδ', ὅτι πρόβατον εἶ* (al. deest) *τῆς ἐμῆς ποίμνης τῆς ἱερᾶς ἱερὸν, καὶ θρέμμα τοῦ μεγάλου ποιμένος καὶ καλῶς ἄνωθεν ἠγμένον ὑπὸ τοῦ πνεύματος καὶ τῷ φωτὶ τῆς ἁγίας καὶ μακαρίας* (al. desunt) *Τριάδος ὁμοίως ἡμῖν ἐλλαμπόμενον. Διὰ τοῦτό μοι καὶ βραχὺς ὁ πρὸς σὲ λόγος καὶ σύντομος.*

[2] Describitur veri principis christiani forma.

[3] Ibidem. *Χριστῷ συνάρχεις, Χριστῷ καὶ* (al. deest) *συνδιοικεῖς· παρ' ἐκείνου σοι τὸ ξίφος, οὐκ εἰς ἔργον, ἀλλ' εἰς ἀπειλήν· ὃ καθαρὸν ἀνάθημα*

„Cum Christo imperium geris, cum Christo munus hoc administras. Ab illo gladium accepisti, non tam ut eo utaris, quam ut mineris et terreas. Quare tibi videndum est, ut illum tamquam donarium quoddam purum et integrum ei qui dedit serves. Imago Dei es: verum Dei quoque imagini [1] imperas; quae quidem hic certa dispensatione gubernatur, ad aliam autem vitam [2] migrat, ad quam omnes quoque concedemus postea quam in hoc vitae carcere vel stadio vel praesignatione vel adumbratione aliquantisper luserimus.„

43. Verum abunde iam patet, quonam ex sese pertineat christiani principis officium, quoque animo idem affectus esse debeat erga Christi ecclesiam romanamque unitatem. Illud tamen ex eodem sapiente theologo Becano repetere jubemur, quod de adjecta superius conditione docet [3], qua princeps sive quaevis alia civilis potestas, liberum aliarum sectarum cultum impedire non valeat. Haec autem statuit: „Tametsi princeps aut magistratus catholicus omnibus modis impedire debeat libertatem religionis, ut dictum est; si tamen id facere non possit sine graviori incommodo boni publici, potest eam tolerare, quam minus malum ad evitandum majus, quod alioqui sequeretur. Haec conclusio fundatur in illo axiomate: Ex duobus malis minus eligendum est, scilicet si utrumque evitare non possumus. Et ratio est, quia in tali casu illud minus malum non eligitur praecise ut malum quoddam est, sed ut medium utile ad evitandum majus malum, ac proinde eligitur sub ratione boni utilis. Ita sentiunt gravissimi authores: D. Thomas. 2. 2. q. 10. a. 11. ubi ex hoc principio probat, ritus gentilium et haereticorum tolerari posse ad majus evitandum: Cajetan. ibidem, Gregorius de Valentia tom. III. disp. 1. q. 10. p. 7. Molina tr. II. de jure et justitia disp. 335. et alii plures. Consentit D. Augustinus l. II. de ordine c. 4. D. Gregorius apud Gratianum dist. 13. c. Nervi. Idem confirmatur ex parabola zizaniorum Matth. XIII.... de qua re pulchre disputat Maldonatus in illum locum.„

44. Et haec hactenus ex Becano. Maldonatus vero, ad quem iste *Maldonatus.*

τῷ δεδωκότι φυλάσσοιτο. Εἰκὼν εἰ τοῦ (al. deest) θεοῦ καὶ εἰκόνα διὰ χειρὸς ἄγεις, ἐνταῦθα οἰκονομουμένην καὶ πρὸς βίον ἄλλον μεθισταμένην, εἰς ὃν πάντες μεταβησόμεθα, μίκρα παίξαντες ἐν τῷ τῆς ζῶῆς τούτῳ εἴτε δεσμωτηρίῳ, εἴτε σταδίῳ, εἴτε προχαράγματι, εἴτε σκιάσματι.

[1] Haec valent contra potestatis abusum.

[2] Finem alterius vitae princeps saecularis non debet quidem sua auctoritate procurare, sed neque eum impedire debet.

[3] Ibidem n. 14.

appellat, ad excludendum verborum Christi [1] abusum „principes aut qui principes monere possunt admonet, non licere illis [2] istas quas vocant conscientiae libertates nimium nostro tempore usitatas haereticis dare, nisi prius Ecclesia [3] aut is qui Ecclesiae caput est Romanus Pontifex Christi persona et tamquam pater familias judicaverit, non posse evelli zizania, nisi simul et triticum evellatur; et e re Ecclesiae esse, ut usque ad messem permittantur utraque crescere. Hujus enim rei non principes qui patris familias servi sunt, sed ipsius patris familias, idest Ecclesiae gubernatoris judicium esse debet. Nec debent principes patrem familias rogare, ut sinat utraque crescere usque ad messem: sed an velit ut eant, et evellant zizania. Ita eos affectos atque paratos esse oportet, ut a patrefamilias coërceri potius opus sit, quam incitari.„

4. *Discrimen potestatum.* 45. Colligimus deinde III. si civilis atque religiosa potestas in ordine naturae confundi [4] non debeant; confundendum multo

---

[1] Matth. XIII. Vide de h. l. Maldonat.

Taparelli. [2] Vide de his praeclare disserentem P. L. Taparelli sag. teor. di dritto nat. vol. I. nn. 880 sqq. ubi exponit a) obligationem regimini impositam religionis rationem habendi: b) religionis veritatem a societate adoptatam esse societatis legem: c) distinctionem inter libertatem dogmaticam, religiosam, politicam: d) discrimen hac in re intercedens inter principem catholicum principemque a veritate alienum: e) differentiam inter protectionem veritati praestitam a fideli principe persequutionemque veritatis catholicae ab infideli profectam: f) systema utilitariorum religione ad fines politicos abutentium: g) omnis religionis tolerantiam, quam vocant, necessariam facere vim potentiamque physicam ac in tyrannidem migrare: tandem h) illam proinde in societate quae vere christiana sit neque posse neque debere exsistere.

[3] „Ecclesiae hac in re auctoritati magis standum esse quam auctoritati vel Augustini vel Hieronymi vel cujuscunque doctoris„ praecipit Th. 2. 2. q. 10. a. 12.

[4] Nemo enim diffitebitur, divinam gubernationem circa homines duplici distinctoque modo versari. Nimirum versatur circa homines, quatenus illos ordinat et dirigit ad hujus vitae felicitatem: sed longe nobilius circa homines versatur, quatenus illos ordinat et dirigit ad perennem alterius vitae beatitatem. Jamvero cum ea sit divini regiminis indoles, ut omnia suaviter juxta et fortiter administret, intuitu praesentis felicitatis, ad quam homines dirigit, vult ut sint qui hujus assequutioni efficaciter advigilent, proindeque confert supremam temporalem potestatem, cujus exercitio atque legitimo usu illa procuretur. Sed intuitu felicitatis sempiternae et custodiae officiorum ad eum finem necessariae, vult ne desint, qui utrumque efficaciter promoveant, proindeque confert supremam sacram potestatem, cujus exercitio atque legitimo usu utrumque, quoad ejus fieri potest, in tuto collocetur. Ergo non unus idemque, sed duplex est respectus, quem sapientia Dei conferentis potestatem utramque, temporalem et sacram, ob oculos habet. Atqui ex identitate aut varietate horum respectuum identitas pendet aut distinc-

minus esse principum regimen regimenque unitatis romanae quae est ordinis superni.

46. Non propterea tamen IV. colligi poterit, unum ab altero avellendum separandumque [1] ita esse, ut amico nullo foedere jun- 5. *Copulatio utrusque societatis.*

tio tituli, propter quem utraque potestas hominibus inesse intelligitur; non ergo eodem titulo sacris profanisque rebus homines praesident.

Quae quidem veritas illustrior evadet, si consideretur, ideo a Deo temporalem concedi potestatem, quod hominem iis exornaverit proprietatibus, quae eum ostendunt ad felicitatem hujus vitae in societate assequendam natura comparatum: ideo vero sacram tribui, quod eam condiderit hominis naturam, cui insitum sit per officia religionis adversus Deum persoluta adipisci tandem beatitatem, quae Dei possessione constet et absolvatur. Ex his enim consequitur, non modo utrique potestati diversum proponi finem, sed praeterea distinctum esse titulum, cujus ergo conferuntur: sicuti distinctae sunt nativae hominum proprietates, quibus ad societatem et quibus ad Deum ordinantur: et sicuti distinguuntur ex sese officia socialia ab officiis religionis. Videsis Suares. de legib. l. III. cc. 1 sqq. et c. 11. tum defens. fid. cathol. adv. anglic. sect. error. l. III. cc. 1—7. Becan. vol. III. opusc. VI. duell. primat. reg. l. III. c. 1. Taparelli saggio teor. di dritto nat. vol. I. II. cc.

[1] Sane aliud est distingui et discrepare, pugnare aliud. Neque enim illa quae distincta diversaque sunt illico etiam secum pugnant, sibique adversantur. Alioquin oppositionis distinctionisque conceptus, quos nemo sanus confundat, turpiter commiscerentur. Pugnant secum temperantia et ingluvies, distinguuntur ab invicem prudentia et fortitudo. Illa ut uni eidemque simul insint, fieri non potest: haec amico sociantur foedere in iis omnibus, qui prudentia aeque ac fortitudine clarent.

Atqui si in sua prope elementa conceptus resolvas, quibus utraque continetur potestas, invenies quidem alia atque alia ea esse, sed pugnantia esse non invenies. Invenies objectum potestatis sacrae contineri interno externoque Dei cultu; ejus finem esse sempiternam felicitatem heic inchoandam, in altera vita perficiendam; media vero, quibus instruitur, partim institutione, partim legibus earumque sanctione absolvi. Hinc invenies statum reipublicae rite ordinandum civili potestati veluti objectum proponi, circa quod versetur; ejusdem finem esse tranquillitatem felicitatemque societatis; veluti media autem eidem suppetere cum alia, tum leges ferendi, sanciendi exsequendique potestatem. Praeclare: sed cui haec ita videri distincta possunt, ut simul infensa atque hostilia videantur?

Immovero facile componi eadem ad invicem posse, et ita quidem ut in una convenerint persona veterum memoriae testantur. Nonne Melchisedech sacerdos erat Dei altissimi? atqui erat et rex Salem. (Gen. 14, 18.)

Moyses dux Israel jura ferebat populo, dirimebat lites, legum sanctionem exsequebatur. (Exod. 18, 13.) Atqui virgae imperanti thuribulum jungens ante Aaronis sacerdotium ipse sacerdos adolebat incensum Domino. (Exod. 29, 18.)

Jojada sacerdos, uncto licet jam rege, in Athaliam mortis sententiam dixit. (4. Reg. 11, 15.)

Samuel quemadmodum fideliter ministrabat coram Domino, ita populum sancte moderabatur.

gantur. Neque enim hominum societatisque eorum fines temporales atque praesentes avellendi sejungendique sunt ab aeternis atque futuris, sed ita invicem consociandi, ut per bona temporalia ac transeuntia humanum genus ad aeterna ac manentia perducatur.

Necessitas ac utilitas.

47. Efficiendum itaque, ne officia societatis humanae officiis obsint [1] societatis divinae; connitendum contra, ut quemadmo-

---

Judas Machabaeus, Jonathas, Simon, Joannes Hircanus, Aristobulus, Alexander Jannaeus, aliique bene multi utraque potestate claruerunt. Ergo utraque jurisdictio non ita distinguitur, ut coire simul neque possit neque umquam debeat. Legi hac de re potest Christofori Müller dissertatio inscripta: „De pedi et gladii . . connubio„ edita Bambergae anno 1764. Becan. vol. III. opusc. VI. duell. de primat. reg. l. III. c. 1—4. Suares. de legib. l. IV. c. 11.

[1] Id vero nullatenus efficitur, si in societatibus maxime iis, in quibus romana unitas jure ut ajunt possessionis gaudet, dum ipsa leges reipublicae servandas praedicat ac praecipit, haec contra illius jura non tuetur verum dissolvit, et dum illa contra omnes temporis fluctus uni quae obtinet auctoritati legitimae obediendum esse inculcat, haec e contrario ventis cedens sinistris cuilibet ecclesiam solam veram invadendi aggrediendique jus faciat. Quod si durum est quum contigerit, consultum profecto admodum non est, quod veluti principium statuitur agendique norma, moderatoribus rei publicae abstinendum plane ab omni religionis tutela, immovero nihil illis consulendum opportunius, quam ut diversis omnibus religionis christianae factionibus aequalia concedantur jura. Fas hoc sit nec ne, ubi romana ecclesia quae semet solam veram Christi ecclesiam habet ut talis habetur ac viget, superius proposita patefaciunt. Quare vix serio a viris ceteroquin claris (ap. Dölling. Kirche und Kirchen pp. 90 sq.) exceptum fuisse putaveris, quod defensores tutelae a statu religioni praestandae rationabiles fines assignare nesciant, quousque semet ejusmodi tutela porrigere debeat. Suprema enim tam negantia quam affirmantia quae eo faciunt principia explorata apprime sunt. Sed quum eadem ad πρᾶξιν referantur, aptandaque sint diversissimis rerum personarumque adjunctis, id hac in causa usuvenit quod in re morali haud raro contingere compertissimum est: generales scilicet normas ac principia suprema omnibus evidentia sua constare, applicationem tamen eorum in certis speciebus casuum ita impeditam evadere atque difficultatibus plenam, ut aqua haereat non imperitis tantum, sed ut ne ipsi quidem rei doctores plane conveniant. Verum quis propterea rationabiles agendi normas infitiaretur? Obscuritas ex indole repetenda actionis humanae, quae ut honesta sit, justa ac prudens, a pluribus et a complicatissimis plus semel pendet circumstantiis temporis ac loci, personarum et rerum. Sed multo minus propterea fas est in dubium generatim sive jura sive officia vocare, quae titulis innituntur indubiis. At enim vero judicium justum de mensura tutelae pro adjunctorum varietate regno Dei praestandae, si dubia oriantur, penes eos potissimum esse existimari debet, qui illi loco Domini in terris praesunt, quique in omnibus, quae sunt ad Deum sive ea theoretica sive practica fuerint, nati judices sunt. Inde autem intelligitur, haec quae diximus de iis nominatim societatibus valere quae catholicae audiunt, quaeque promiscue

modum haec priorum officiorum impletionem praescribit, ita illa impletioni posteriorum ubi possit consulat. Quod si fiat, pax et tranquillitas efflorescens et ecclesiam juvabit et societatem civilem. Ne vero de avellenda una ab altera catholicorum cuipiam cogitare fas sit, haec prohibent Gregorii XVI. [1] efficacissima verba: „Neque laetiora et religioni et principatui ominari possemus ex eorum votis, qui ecclesiam a regno separari, mutuamque imperii cum sacerdotio concordiam abrumpi discupiunt. Constat quippe, pertimesci ab impudentissimae libertatis amatoribus concordiam illam, quae semper rei et sacrae et civili fausta exstitit ac salutaris....„ *Gregorius XVI.*

48. Et V. tandem colligimus, quinam inter supernaturalem societatem eamque romanam et inter naturalem eamque civilem intercedere ordinis habitus neque possit neque debeat, quique contra pro viribus ob oculos semper habendus perfectiusque jugiter exprimendus sit. Videlicet praefert illa necessitatem ac legem, a qua deflectere non licet, neque umquam divina ipsa providentia patietur. Praefert vero ipsam Christi normam ac formam, regulam atque *παράδειγμα*, ad quod semet necessario ac jugiter exigere nititur atque contendit. Quod cum facit arcta quaerit cum societate humana vincula, neque ut ejus commodis obsit, sed ut ejusdem consulat fundamentis quibus innixa tutissima consistat: neque ut membra ejusdem divellat ac distrahat, sed ut illam cum omnibus quae bona eidem et jura debentur ac insunt, sartam tectam servatam devinciat cum Deo humanitatis auctore, salvatore [2] et sanctificatore. *6. Societatis romanae erga civilem officia.*

cum heterodoxis haberi neque possunt neque debent. Ceterum divina providentia plura permittit quae non probat, sed improbat: hinc ex eo quod aliquid multum ac diu ab hominibus fit factumque est, licet quidem inferre, Deum sua illud providentia permisisse, sed non licet inferre illico, Deum provisorem illud voluisse. Dei provisoris est, ex malis quoque sive commissionis sive omissionis humanae eruere bona; ideoque ordinem permissionis hujusmodi sequi solet ex parte Dei ordo punitionis, quemadmodum ordinem mali vel omissione vel comissione patrati ex parte hominum ordo poenitentiae sequi deberet. Quid porro contigisset vel contingeret, si ut par est sua omnes explerent munera, soli constat provisori altissimo, qui scrutatur etiam futura a conditione pendentia; sicut ejus solius est, quum humana res secundarum opera causarum perdita est, eamdem pro sua potentia vel in integrum restituere vel multo etiam instaurare splendidius, sive ut praestitutos sibi consequatur fines sive ut suis promissionibus fidelis persistat.

[1] Encyclic. d. 18. Sept. 1832 con. indifferentistas quos vocant et Lamenais.

[2] Profecto 1) Christus salvator et sanctificator fuit et est hominis totius: fuit ergo salvator et sanctificator quoque ejus quatenus socialis est: *Societatis protectio.*

49. Sane fundamentum a quo humana civilisque societas pendet, situm est in obedientia subditorum, quam hi principibus praestant. Atqui obediendum esse principibus romana societas non uni relinquit naturali juri, sed veluti legem positivam statuit ac normam generalem, cui contrariam opponere sententiam perinde habet atque haeresim. Ad normam legemque illam quod attinet, de qua tamen nemo serio dubitarit, Hieronymus, insignis romanae ecclesiae doctor, dignus profecto est, qui interpres [1] mentis ac sententiae romanae unitatis audiatur: „Admone illos, inquit, principibus et potestatibus subditos esse, obedire: ad omne opus bonum paratos esse: neminem blasphemare, non litigiosos esse: esse modestos, omnem ostendentes mansuetudinem ad omnes homines. Tale quid et ad Romanos scribitur: Omnis anima potestatibus superioribus subdita sit. Non est enim potestas [2] nisi a Deo. Quod quidem praeceptum et hic et ibi propterea puto editum, quia Judae Galilaei per illud tempus dogma adhuc vigebat, et habebat plurimos sectatores, cujus et in actibus Apostolorum [3] fit mentio, Scriptura referente: „Ante hos enim dies surrexit Theodas dicens, quemdam se esse magnum, cui appositi sunt viri quasi tria millia„ et „post hunc surrexit in diebus census Judas Galilaeus„ qui inter cetera hoc quasi probabile proferebat ex lege, nullum debere dominum nisi solum Deum vocari: et eos qui ad templum decimas deferrent, Caesari tributa non reddere. Quae haeresis in tantum creverat, ut etiam pharisaeorum et mul-

Hieronymus.

Judas galilaeus.

2) Christus salvator et sanctificator fuit et est non singulorum tantum hominum seorsum, verum salvator et sanctificator fuit et est humanitatis totius quatenus unam efficit familiam; fuit ergo et est salvator quoque ac sanctificator societatis humanae, quae familiae unitatem repraesentat: 3) Christi doctrina et operatio ad totum spectat hominem, totum veluti pervadit ac penetrat, omnia quae ejus sunt afficit, et ad omnia se extendit, quae ad illius vitam sive internam sive externam spectant. Fieri ergo nequit, quin oeconomia Christi ad illa quoque semet porrigat, quae propria dicuntur societatis profanae sive civilis: fieri nequit, ut sive locus sive tempus sive humana detur actio, quo vel quando vel quam suscipientes homines christiani a christiana lege et oeconomia possint aut debeant simpliciter praescindere ac penitus supersedere. „Ordo servandus„ est princeps juris naturalis lex: sed ordo institutus, qui historice exsistit, quemque homo christianus amplexus est, non est alius quam ordo Christi Domini, ordo christianus; is ergo servandus semper, et nuspiam ac nunquam seponendus vel oblitterandus.

[1] Com. in ep. ad Tit. lib. c. III. vv. 1. 2. ed. Migne t. VII. p. 590 col. 2.

[2] Rom. XIII. 1.

[3] Act. V. 36.

tam partem populi conturbaret, ita ut ad Dominum [1] quoque nostrum referretur haec quaestio: Licet Caesari dare tributum, an non? Quibus Dominus prudenter cauteque respondens ait: Reddite quae sunt Caesaris Caesari, et quae sunt Dei Deo. Cui responsioni Paulus Apostolus congruens docet, principatibus et potestatibus credentes debere esse subjectos. Ἀρχαὶ quippe quae leguntur in graeco, magis principatus quam principes sonant: et ipsam significant potestatem, non eos qui in potestate sunt homines. Sed quia dixerat, Admone illos, principatibus et potestatibus subditos esse, poterat his, qui tormenta formidant, occasio ad negandum dari: juxta Apostoli dictum se assererent principatibus et potestatibus esse subjectos, et facere quod juberent, propterea subjecit: Obedire ad omne opus bonum. Si bonum est quod praecipit imperator et praeses, jubentis obsequere voluntati. Sin vero malum et contra Deum sapit, responde ei illud de Actibus Apostolorum [2]: Obedire oportet Deo magis quam hominibus.

50. Verum custodito per statutam legem ac normam fundamento, ut hominum societas esse humana possit, ab unitate catholica eaque romana simul etiam praestituitur forma atque exemplar, ὁ θεάνθρωπος, ut perfectius illa et nobilius, ut christiana [3] societas sit. Si enim naturalis hominum societas humani corporis animati φυσικῶς, humanique adeo compositi ἀναλογίαν sequitur: nihil

7. Copulationis exemplar ὁ θεάνθρωπος.

[1] Matth. XXII. 17.

[2] Act. V. 29.

[3] Hinc rursum apparet quo sacro fervore vel potius furore in Christum illos animatos esse oporteat, qui quum innexi romanae unitati penitus sint uti praeclarum aliquid commendant ecclesiam liberam in societate sive statu civili, ut dicunt, libero. Quasi vero I. ecclesia vera i. e. romana unitas tyrannide invecta libertatem auferret: licentiam illa utique pati nequit, sed libertatem tuetur et teste historia ejusdem semper exstitit vindex. De quo cf. Döllinger, Kirche und Kirchen n. 3. pp. 93 sqq. II. Quasi vero status vel societas civilis ut talis liber solutusque a religione consistere posset: sed justitia regnorum fundamentum; verum absque religione justitia nulla. Scilicet III. impii in Christum, et iniqui sunt in homines ipsamque eorum societatem, qui forma christiana abjecta et abstracta coloribus ut ita dicam nullismi religiosi humanam familiam deturpant, depravant, pessumdant. Sed enimvero IV. dubitares utrum forte ejusmodi phrasi perniciosa non minus quam deceptrice nefandum ac prope infernum illud tegatur ac lateat consilium universalis non libertatis, verum licentiae; universalis nimirum demagogiae, quae excutiat auctoritatem utramque pariter tam religiosam quam civilem? Videlicet etiamnum repetitur historia de qua Gen. III. 6 sqq.: „Vidit igitur mulier . . .„: neque successu minus felici repetitur.

Licentia religiosa.

manifestius est, quam societatem christianam [1] ad ἀναλογίαν hominis Christi in quo habitabat [2] omnis plenitudo divinitatis corporaliter, adeoque ad ἀναλογίαν compositae illius hypostaseos esse exigendam, ut vere sit quae vocatur. Sed tum consociatio hu-

Errores οἰκονομικοὶ et πολιτικοί.

[1] Sane si dispicere placeret miram deprehenderes analogiam inter errores errantesque circa τὴν οἰκονομίαν interque eos qui circa τὴν πολιτείαν versantur. Ut enim quod ad Christum redemptorem, τὸν θεάνθρωπον, attinet errando alii 1) negabant divinam assumentem hypostasim (gentiles cum impiis Judaeis); alii 2) negabant humanam assumptam naturam (docetae-phantasiastae); 3) alii vero habitum intercedentem inter Deum assumentem humanitatemque assumptam evertebant a) vel separatione (nestoriani); vel b) confusione (eutychiani), qua humanitatem a deitate absorptam diversimode comminiscerentur; vel contra c) corruptione, qua assumptam humanitatem modo hac modo illa naturali perfectione proprietateque privarent, vel assumentis Verbi Dei naturam partes illas explentem absorberi prope conditione humana contenderent (apollinariani, ariani, monophysitae, monotheletae); sicut tandem 4) alii universam Christi oeconomiam inter fabulas mythosque rejiciunt: ita similiter ad humanitatem redemptam in christianorum societatem collectam colligendamque quod attinet, ab aliis 1) negatur salutaris auctoritas ecclesiae Christi, cui omnis hominum societas atque potestas in negotio salutis (Cf. Suares. de legib. l. III. c. 6. n. 3. l. IV. cc. 8. 9.) subjecta ac subdita sit (ita paganismus gentilium veterum et qui in eum relabuntur infideles ac impii christiani); ab aliis excluditur 2) ipsa hominum societas respondente illi potestate civili eversa: a credentibus, inquiunt, uni Deo obediendum (ita Judas galilaeus apud Suares. de legib. l. III. c. 5. et ita ab initio reformatores); ab aliis 3) evertitur inter Christi ecclesiam civilemque societatem intercedens habitus copulationis (de quo apud Suares. de legib. l. IV. c. 9. n. 3.) sive invecta a) separatione juxta adagium donatianum: Quid ad ecclesiam imperator? (huc spectat Machiavellismus de quo apud Suares. de legib. l. III. c. 12. sanciens societatem neque religionem neque etiam mores, sed solam suam felicitatem adeoque justitiam curare; hinc meri juris quam vocant societas prodit, in qua lex statuitur athea); sive b) inducta potestatum confusione, qua vel a spirituali temporalem absorptam existimant (de quibus Suares. l. c. l. III. cc. 6. 11.), vel spiritualem temporali immiscent (ita territorialismus quem vocant cum caesareopapismo (ad quem spectant Suares. l. c. l. IV. cc. 8. 9. defens. fid. orthod. cont anglic. sect. error. l. III. et Becan. vol. III. de prim. reg.); sive c) corruptione illata modo potestati civili, quam absque pietate superna nullam declarant (ita Waldenses, Wickleffitae, Hussitae, sequentesque phantasiastae ac mystici, de quibus Suares. de leg. l. III. c. 10.) modo auctoritati ecclesiasticae, quam praerogativis juribusque suis in subditos spoliant ac privant (quo faciunt systemata febronianismi, gallicanismi, josephinismi atque multiplicis aulicismi ac libertinismi): ab aliis tandem 4) christianae societatis tota ratio et explicatio veluti summa habetur felicitatis humanae calamitas ac prope pestis, quam adeo ad recuperandam humanitatem funditus exstirpare conniti et salutaribus undis abluti et illoti omni vi debeant (et haec est aetas τοῦ φιλοσοφισμοῦ, τοῦ φωτὸς καὶ τῆς ἐπιστήμης!).

[2] Coloss. II. 9.

manae societatis cum romana unitate non minus illi nocebit, quam humanae naturae nocuit, ut a Verbo aeterno in intimum divinitatis consortium attraheretur.

XIII. *Romana unitas bonis aeternis consulit, temporalibus destitui nequit.*

51. Corollarium VII. Cum priori hoc alterum intime nexum consertumque est consectarium rursum multiplex, quod ad romanae unitatis attinet naturam, qua est diciturque societas spiritalis. Videlicet I. ex declarata hac illius ratione ac indole consequitur quidem, eo illam ex sese spectare, ut spiritualibus i. e. supremis iisdemque aeternis hominum bonis consulat curamque gerat; sed inde II. nullatenus infertur, ad hunc consequendum finem eidem neque materialia atque temporalia media aut necessaria aut etiam opportuna atque [1] utilia esse, neque adeo ad haec illam posse vel debere sollicitudinem suam suamque potestatem extendere. Est *Finis.* *Media.*

[1] Praeclare, ut solet Suares de legib. l. IV. c. 10. n. 2. „Alius error inventus etiam a novatoribus est, potestatem civilem omnino repugnare Pontificibus seu personis in sacerdotali dignitate constitutis.„ Et allatis novatorum argumentis (quae ab iis non admodum differunt quibus etiamnum in ecclesiam rebelles utuntur) reponit n. 3. „Nihilominus veritas catholica est, potestates has nec necessario esse coniunctas, nec necessario separatas, quia neutrum est divino iure praeceptum aut prohibitum. Prior pars satis patet ipso usu et experientia.„ Quibus declaratis multo concinnius quam nunc fieri ab iis contingit, qui rationibus illis contra romanam unitatem eiusque caput abutuntur, n. 4. pergit: „Quod autem hae duae potestates in eadem persona coniunctae esse possint, similiter probatur ex usu Ecclesiae: nam summus Pontifex simul etiam rex est temporalis in suis terris, quarum est dominus, quod a sanctis Pontificibus inchoatum et conservatum est, unde cogitari non potest, esse illicitum. Imo speciali Dei providentia factum esse affirmat D. Thomas in 2. Sentent. in fine. Similiter multi episcopi simul habent civilem potestatem et dominium, ut constat praesertim in Germania, et Hispania et in Conimbricensi hoc episcopatu. Ratio vero est, quia hoc non est per se malum, neque est aliqua positiva lege prohibitum, et aliunde potest multas rationes congruentiae habere: ergo. (Sed congruentiae rationibus posthabitis licet multae et gravissimae essent et sint, quod tum in Ecclesia Dei christianaque societate obtinuit, postea deletum fuit ac porro impie deletur.) Tandem n. 5. absolvit: „Princeps autem ecclesiasticus non ad hunc finem (ob lucra temporalia) accipit temporalem principatum, sed ut Ecclesiae utilitati et fidelium commodis magis inserviat; et ideo illud temporale ita coniunctum spirituali non est saeculare omnino, sed aliquo modo sacrum: habere igitur talem potestatem civilem simul cum spirituali contra nullam legem divinam est, vel positivam vel naturalem. Quod vero contra humanam non sit, per se notum est nec indiget probatione.„ *Suares.*

profecto homo rationalis: sed enimvero quis inde intulerit ad obtinendos rationales hominis fines neque necessaria plus semel opportunave esse media corporalia? Immovero quis negaverit, ad invitandum, excitandum, commovendum compellendumque hominem ad prosecutionem finium rationalium haud raro valere plurimum plurimumque debita, legitima et rationabilia censeri et usurpari media a pure rationalibus plane diversa?

Rei natura. 52. Enimvero huc pertinet quae probe[1] tenenda hominis ex anima rationali et corpore naturalis synthesis in ordine naturae atque creationis: in ordine vero elevationis itemque reparationis non quidem *φυσικὴ* sed *ὑπερφυσικὴ* ejusdem ex naturalibus bonis donisque supernaturalibus prope conflatio: atque huc deinceps spectat sapiens mediorum ad fines ordinatio ac dispositio, tum accuratus et diligens illorum[2] ad hos consequendos usus. Sed quod in homine singulari ac individuo usuvenit, idem *κατ' ἀναλογίαν* ad humanam societatem transferatur oportet.

XIV. *Romanae unitatis subiectum non meri sunt spiritus.*

53. Unde colligitur III. Christi ecclesiam, hoc est romanam unitatem, non eo sensu spiritualem esse, quasi ejusdem auctoritas vel solis spiritibus praesit, vel suum nonnisi in coelis sortiatur effectum. Sane gravissimi errores, atque detrimenta omnium maxima suam plus semel debent originem abusui vocum, quae nihil nisi innocuum, atque consuetudine receptum praeferre videntur. Innocua vox est *Christiparae*, sed ea abusus Nestorius unitatem personae Christi negavit. Innocua vox *consubstantialis*, sed illius abusu factum est, ut divina Trinitas everteretur. Innocua vox *libertatis* humanae, sed ex ea tumultuantes collegerunt, homines nulli obnoxios esse superiori potestati. Innocua est vox *spiritualis* cum ad ecclesiam refertur, sed ea hominibus male sanis occasionem praebuit vel disseminandae haereseos, quod ecclesia sit invisibilis, vel ejus discriminis inter civilem et ecclesiasticam societatem constituendi, quod et sit falsissimum, et ad absurda quaeque consectaria deducat. Sunt itaque, qui ex hac denominatione societatis *spiritualis*, quae ecclesiae tribuitur, inprimis

1. Verborum confusio.

---

[1] De hac similitudine cf. Suares. l. c. l. IV. c. 9. n. 3. Taparelli l. c. vol. II. adnott. CIX. CX.

[2] Videsis Taparelli l. c. adnott. LXXIII. et LXXIV.

eruant, imperium in hominem ita a Deo esse divisum civilem inter atque ecclesiasticam potestatem, ut haec tantum animis, illa vero tantum corporibus [1] imperet.

54. Huic errori alterum ex eodem fonte petitum illi adjiciunt, qui cum Petro Jannonio [2] statuunt: eo potestatem ecclesiae ab imperii potestate differre, quod illa principem suum effectum in coelis sortiatur, haec in terris. 2. *Jannonius.*

55. Adversus errorem priori commemoratum loco, ista initio opponimus non scriptoris alicujus catholici, sed anglicani presbyteri Guilielmi Beveregii [3]: „Etiamsi ecclesia in imperio sit [4], reipsa nihilominus ab eo distinguitur, non secus atque anima a corpore; hoc enim medici, illa theologi curae committitur: proinde homo ex duabus istis conflatus partibus, commune est utriusque regiminis subjectum, sub diverso tamen respectu. Imperio quidem, quatenus *ζῶον πολιτικὸν* est, ecclesiae autem quatenus *ζῶον ἀθανατὸν*, sempiternae scilicet felicitatis vel miseriae capax. Enimvero homo convenientis sibi societatis ex natura [5] appetens, istiusmodi 3. *Beveregius.*

---

[1] Hujus erroris, cujus meminerunt cl. Bianchi (Dell' esteriore polizia della Chiesa. lib. I. cap. I. §. III. n. VII.) Hermannus Dominicus Christianopulus (Diatrib. de eccl. potest. cap. I. §. I. n. 3. Romae 1774) et Joannes Devoti (Proleg. in Jus can. cap. VIII. §. 1.), assertor fuit ac vindex.... Rolandus Vayer de Butigny Neapoli an. 1768. *de regia auctoritate in aetatem nuncupandae religiosae professionis necessariam.*

[2] Apud cl. Bianchi l. c. n. VIII.

[3] Proleg. in Pandectas Canonum. §. I.

[4] Sed quonam pacto id temperandum accipiendumque sit, qui christiano modo ac more cogitat et loquitur facile intelligit; nonne enim vere et apte fas est dicere, in ecclesia esse imperium? Ita profecto si ecclesiae spectaveris amplitudinem, quae ad orbem terraqueum semet extendit: ita si ecclesiae spectaveris excellentiam quae imperii conditionem superat: ita si ecclesiae spectaveris necessitatem ac finem qui omnes gentes ecclesiam ingredi compellit: ita si spectaveris humanitatis *παράδειγμα*, *τὸν θεάνθρωπον*, in quo Verbi hypostasis naturam humanam ad se attraxit. *Ecclesia in imperio.*

[5] Quum potestas civilis naturalibus iisque externis humanae societatis necessitatibus consulat, indole sua naturalis est. Propterea autem nullatenus sequitur, non ordinari illam ad supernaturalem finem debere. Quod quum meis supra verbis edixerim, idem praestantissimi theologi, Suaris inquam, auctoritate confirmasse iuverit. Itaque 1) de legibus l. III. c. 11. n. 4. ubi Fortunium refellit qui civili potestati vim naturali superiorem asseruerat concludit: „Dico ergo potestatem civilem per relationem extrinsecam vel Dei vel hominis habentis illam posse ordinari ad supernaturalem felicitatem ut ad finem ultimum... nam ex parte Dei verum est omnia bona data hominibus etiam naturalia data esse propter felicitatem supernaturalem *Societatis provectio.*

necesse est subjiciatur legibus, quibus talis societas conservetur; ad eam autem integre conservandam nihil amplius requiritur, quam ut caveatur, ne unus alteri noceat, sed singuli sibi invicem prospiciant, et suum cuique tribuatur. Huic itaque rei ab imperio consultum est: quod propterea externis tantum hominum actionibus, per corporea scilicet exertis organa, advigilat, ut eae nimirum suos intra limites ita coerceantur, ut nihil ex iis mali, sed quantum fieri potest boni commodique, et aliis singulis et toti communitati [1] emergat, ita ut quisque se et suis et aliorum etiam societate quiete et tranquille gaudeat? Verum enimvero homo non hominum tantum, sed ipsius etiam Dei creatoris summique boni

---

adipiscendam, et hoc modo etiam haec potestas data est propter illum finem.„ Rursum 2) ibidem n. 10. contendit, „illa vitia et peccata quae dicuntur mixti fori, eatenus puniri et cohiberi per leges civiles, quatenus supposito hoc statu reipublicae christianae illam perturbant, et magna nocumenta illi afferunt etiam quoad suam pacem et externam felicitatem ac conservationem: hunc enim finem semper intendit ipsa potestas quatenus talis

Leo M. est, licet utens illa possit perfectius operari: et hoc modo Leo Papa ep. 7. laudat Theodosium, quod fide sua praesidium afferret ecclesiae, et non solum regium animum sed etiam sacerdotalem ostenderet, et quod curam haberet avertendi haereses et schismata: Quia tunc (inquit) est optimus regni vestri status, quando sempiternae Trinitati unius Deitatis confessione servitur.„ Tandem 3) n. 11. ita argumentatur: „Legislatio civilis de se et suo genere actio honesta est, licet ordinis naturalis et prudentiae acquisitae ac rationi naturali consentanea; ergo est de se apta referri ad finem supernaturalem; ergo princeps christianus facile potest in eum finem illam referre, et optime

Augustinus. facit illam referendo iuxta illud Augustini l. V. de civit. Dei c. 24. ubi de regibus christianis ait: „Felices eos dicimus, si suam potestatem ad Dei cultum maxime dilatandum, maiestati eius famulam faciunt:„ et quod in Con-

Concilium moguntin. cilium moguntin. sub Stephano c. 2. de rege dicitur: „Meminerit se prae omnibus ita sanctae matris Ecclesiae esse filium, ut ejus paci et tranquillitati per universum mundum suum prodesse faciat imperium.„ Est autem observandum hanc relationem posse dupliciter fieri, primo per positivam ordinationem, et sic regulariter erit in consilio, nisi ubi speciale praeceptum vel

Leo M. necessitas ad illud obligaverit. Sic enim Leo Papa ep. 75. ad Leonem Augustum inquit: „Debes incunctanter advertere regiam potestatem tibi non solum ad mundi regimen, sed maxime ad Ecclesiae praesidium esse collatam„ etc. Secundo intelligi potest per negationem tantum, seu per circumspectionem nihil statuendi per hanc potestatem, quod sit contrarium fini supernaturali vel eius consequutionem impedire possit, quae observantia et prudens cautio ex fide procedit, et virtualis quaedam relatio in ultimum finem dici potest. Estque non tantum in consilio, sed etiam in praecepto maxime proprio christiani ac catholici principis, ut constat.„

[1] De his sapienter abundanterque disputat Suares. de legibus l. III. et defens. fid. cathol. adv. anglic. sect. error. l. III. Becan. de primat. reg. opusc. VI. vol. III.

communione frui, eumque colere et ad summam, quae in creaturam conferri potest, felicitatem evehi ex natura comparatus est. Cum is autem et veram erga Deum pietatem, et suam in eo beatitudinem neglectui habere plus nimio propensus sit; inprimis necessarium est, ut harum etiam rerum cura ei habeatur. Haec autem ecclesiae concreditur: cui propterea, quoad ejus fieri potest, cavere incumbit, ut et debitus Deo omnipotenti honor a singulis exhibeatur, et ipsi suprema illa quibus nati apti sunt gaudia consequantur. Imperium igitur externis tantum hominum erga se invicem actionibus, ecclesia omnibus eorum erga ipsum etiam Deum gestibus intenta est: illud corpora, haec animas administrat. Christiani, fateor, cives utrique subjiciuntur, sed ei quatenus cives, huic quatenus christiani: ac illud proinde praesentia tantum mala ab iis propulsare, haec perpetua iis bona conciliare studet. Vel ut summatim dicam, imperium publicae tantum in terris hominum quieti, ecclesia [1] aeternae etiam in coelis eorum saluti consulit.„

56. Itaque ratio discriminis inter potestatem civitatis et ecclesiae non ex *subjecto* obnoxio, sed ex fine atque *effectibus* [2] repetitur. *4. Subiectum obnoxium homo.*

---

[1] Quae ad supernaturalem ecclesiae potestatem maxime legiferam eiusque habitum quo cum potestate legislativa civili vincitur spectant, diligenter pertractat Suares. de legib. l. IV. cc. 8 sqq.

[2] Ad rem Suares (de legibus lib. III. cap. 11. n. 7.) hanc proponit thesim: potestas civilis . . . in pura natura spectata non habet pro fine intrinseco, et per se intento felicitatem naturalem vitae futurae, imo nec propriam felicitatem vitae praesentis, quatenus ad singulos homines, ut particulares personae sunt, pertinere potest; sed ejus finis est felicitas naturalis communitatis humanae perfectae, cujus curam gerit, et singulorum hominum ut sunt membra talis communitatis, ut in ea scilicet in pace et justitia vivant, et cum sufficientia bonorum, quae ad vitae corporalis conservationem et commoditatem spectant, et cum ea probitate morum, quae ad hanc externam pacem et felicitatem reipublicae, et continentem humanae naturae conservationem, necessaria est.„ Huic autem thesi fidem conciliat pluribus b. Thomae testimoniis (1. 2. q. 90. art. 2. q. 95. art. 1—4. q. 96. art. 2—3. q. 99. art. 3.), quibus docet, finem humanarum legum esse commune bonum civitatis, humanisque legibus ea duntaxat prohiberi ac praecipi, quae huic fini consentanea videantur. Tum rationem addit ex ipsa rei natura petitam, quae est hujusmodi. Civilis potestas ideo a Deo confertur, quia exigitur ab humana natura, quatenus socialis est, atque ex nativis proprietatibus ad societatem ordinatur. Sed potestas extendi latius non potest exigentia ipsa, cujus gratia tribuitur: haec enim illius veluti causa haberi potest. Ergo

Suares.

S. Thomas.

Civilespotestatis origo.

Subjectum obnoxium est commune utrique potestati, scilicet est homo anima constans et corpore; et homo utraque potestate ad finem dirigitur, quod bono continetur animi proprio.

5. *Potestatum discrimen.*

57. Potestas imperii hominem dirigit ad assequutionem civilis felicitatis: potestas ecclesiae eumdem dirigit ad assequutionem beatitatis sempiternae. Potestas imperii pro fine sibi proposito et ea jubet, quae assequutioni civilis felicitatis necessaria sunt, et ea vetat, quae ejusdem assequutioni adversantur.

Potestas ecclesiae pro fine, quem pariter propositum habet, praecipit, quae sempiternae beatitati comparandae conducunt, et prohibet, quae illius assequutionem vel retardant, vel prorsus impediunt. Atqui nemo eo usque desipiat, ut internis dumtaxat actibus promoveri vel impediri assequutionem sempiternae beatitatis affirmet. Rerum ergo adversatur naturis, ex eo discrimen utriusque potestatis petere, quod corporibus altera, altera animis praesit.

6. *Administratio cultus.*

58. Rursum, cuinam nisi ecclesiae credita est cura illius partis

---

civilis potestas commensuratur bono communi humanae societatis, ejusque felicitati. Atqui bonum naturale humanae societatis vitae praesentis limitibus circumscribitur; ergo fieri nequit ut amplior sit civilis potestatis extensio. Eandem ob causam civilis potestas non respicit bonum singulorum, nisi respectu habito ad bonum totius communitatis, quod est adaequatum ejusdem objectum. Ergo quod ita spectat ad privatam felicitatem, ut non refluat in bonum communitatis, non continetur objecto civilis potestatis.

Eiusdem extensio.

Triplex gubernatio.

Ad haec: triplex distinguitur moralis hominum gubernatio, alia politica quae spectat ad regimen civitatis et communitatis perfectae: alia oeconomica, quae ad regimen ordinatur unius familiae atque domus: et alia propria uniuscujusque, quae monastica audit, quasi ad unius coarctata regimen. Jamvero civilem potestatem referri ad politicam gubernationem, ex ejusdem definitione innotescit. Itaque per se non refertur ad oeconomicum regimen nisi in iis, quae in commune bonum aut detrimentum civitatis redundant: reliqua enim, quae ad privatam familiam attinent, non civilibus legibus, sed patris familias nutu gubernantur. Ergo, servata proportionis ratione, non est civilis potestatis monastica directio, seu privata honestas singulorum, quatenus sunt hujusmodi: sed utique ad eam spectat per leges edicere illam morum honestatem, quae aut necessaria, vel apprime est utilis, ut quis bonus civis censeatur et sit. Sed ut singuli homines felicitatem naturalem assequantur, non sufficit ut hanc civilem honestatem excolant; sed necessaria eisdem est omnimoda morum integritas, et actuum directio ad Deum, quatenus indito naturae lumine cognoscitur. Ergo privata singulorum felicitas non concluditur finibus civilis potestatis.

cultus, qui externis actibus administratur? ergo absurde ad solos animos ecclesiae imperium adstringitur.

Ad haec, nonne externis etiam vinculis praecepit Christus ut in unum veluti corpus singuli quique fideles coalescerent? profecto externa sunt vincula unius ejusdemque fidei professio: externa sunt vincula eorumdem sacramentorum participatio: et externa sunt vincula legitimis pastoribus praestanda obedientia. Sed cujusnam erit nisi ecclesiae efficere, ne hujusmodi abrumpantur nexus, ex quibus ipsius ecclesiae incolumitas pendet? *Ecclesiae corpus.*

Praeterea, conferantur evangelia, legantur actus et litterae Apostolorum: ad omnem prope paginam dicta factaque occurrent, quibus hujus opinionis monstrum evertitur. Evertitur, dum ecclesiae tribunal asseritur, in quo, auditis testibus, sententia feratur: evertitur, dum proponuntur Apostoli, qui aut publicos peccatores excommunicatione, vel haereticos feriunt anathemate: evertitur, dum fideles a custodia legalium exempti legi subjiciuntur, qua usus sanguinis et suffocati eisdem interdicitur: evertitur, dum fidelibus negatur facultas participandi mensae idolorum: et evertitur, dum viri boni testimonii probatique eliguntur, qui mensis ministrent, et res ecclesiae procurent. *Scripturae.*

Quamquam argumentis opus haud est, ut error absurdissimus disjiciatur. Fac enim probes, imperium corporibus, ecclesiam solam animis praeesse. Homo, qui unus est ex animo et corpore constans discerpetur atque ita distrahetur, ut neutra potestas in veram hominum societatem imperium exerceat. *Praepostera.*

Nam hoc modo ecclesia societas esset animorum, essetque invisibilis, quales animi sunt: quo quidem nihil infensum magis Scripturis.

Civilis autem respublica societas esset corporum, quae sine animo non legibus parere, non coerceri poenis, non moveri loco, non agere quidquam possunt. Ergo inutiles essent omnes civiles leges [1], quoniam imperant corporibus, quae cum sunt animorum expertia, neque voluntatem habent parendi neque facultatem. *Suares.*

[1] Docet Suares. de legib. l. III. c. 12. 1) Legem civilem solum versari in materia honesta: 2) aliud esse praecipere iniquum, aliud permittere: 3) leges civiles posse praecipere recta in omnibus virtutibus et opposita *Lex civilis.*

Et codex ecclesiae quo tandem recideret? nullae forent synodorum et Pontificum sanctiones, quibus vel de ritibus sacramentorum, vel de coetibus habendis, vel de electionibus celebrandis, vel de bonis diribendis, vel de forma in judiciis servanda disponitur; atque ideo nullae essent, quod haec omnia et singula externis actibus administrantur. Quae cum ita sint, concludemus: nihil confingi absurdius potuisse, quam quod imperium corporibus, ecclesia nonnisi animis moderetur: utriusque potestas toti praeest homini, sed non totaliter, ut aiunt, non secundum omnia, verum pro suo quaeque fine.

XV. *Romanae potestatis effectus non sunt mere aeterni.*

Potestas ecclesiae suos in terris quoque effectus habet.

59. Ad alterum, quod spectat errorem, quo [1] ecclesiasticae potestatis effectus ad coelum reservantur: dicimus adversari illum disertis Scripturae verbis, christianae traditioni, et rationi ipsi, qua homines sumus.

Scripturae.

60. Adversatur Scripturae, nam Matth. XVI. et XVIII. dicitur, fore ut ligatum vel solutum sit in coelis, quod potestate divinitus accepta legitimi praesules ligaverint vel solverint in terris. Ergo in coelis ratihabetur quod in terra peragitur; ergo potestas ecclesiastica suos effectus in terris primum exserit.

Quid vero illud, quod Matth. XVIII. additur, veluti ethnicum

---

illis vetare: 4) potestatem legislativam non posse assequi suum finem, nisi in materia omnium virtutum praecipiat: 5) leges civiles intendere cives facere bonos viros, quia non possunt aliter facere bonos cives: 6) omnes virtutes morales aut esse ad alterum hominem, aut ad se, aut ad Deum, et secundum omnes hos respectus posse praecipere leges civiles: et 7) leges civiles non posse ferri de omnibus actibus omnium et singularum virtutum. Atqui haec mente concipi nequeunt, nisi legis civilis subiectum homo sit quatenus tota rationis suae vi pollet.

[1] Cum utroque hoc errore cohaerere eorum sentiendi loquendique modum diceres, quo ministros Christi eorumque ministeria, qui pro Christo legatione funguntur ab externis, visibilibus, sensibus obnoxiis, ut verbo dicam, a socialibus omnibus hominum placitis, usibus ac moribus exclusa volunt ac significant, idque praetendunt, spectare illos et illa ad interna dumtaxat, ad mere spiritalia, ad coelestia ac divina, operationisque eorum adeo campum sacrorum prope templorum muris circumscribendum esse. Nimirum Christum suamque ecclesiam ab humana societate et generatim ab hac visibili rerum universitate expulsum vellent atque extorrem! Sed „qui habitat in coelis irridebit eos, et Dominus subsannabit eos!„

et publicanum habendum illum esse, qui ecclesiae imperanti morem non gesserit? an in coelo primum, qui ecclesiae non acquieverint, e fidelium coetu excludentur?

Rursum, nihil ne in terris egit Paulus, cum Hymenaeum et Philetum, homines haereticos, satanae tradidit? nihil, cum incestuosum Corinthium e fratrum societate praecidit? nihil, cum ad Thessalonicenses [1] scripsit: „Quod si quis non obedit verbo nostro per epistolam, hunc notate, et ne commisceamini cum illo, ut confundatur?„

61. Sed ipsam consulamus traditionem, imo non ipsam, qua late patet, traditionem, sed unum ejusdem caput, quo docemur qui essent effectus publicae poenitentiae ecclesiastica auctoritate indictae. *Traditio.*

Jam inde a saeculo IV. eam obtinuisse disciplinam, qua poenitentiae stadium ab iis decurrendum qui certis se obstrinxissent flagitiis, in quatuor veluti stationes distingueretur, quae a graecis *τόποι τῶν ἐπιτιμιῶν* dicebantur, et quarum prior *προσκλαυσις*, sive *ὁ τοῦ προσκλαίοντος τόπος*, altera *ἀκρόασις* sive *ὁ τοῦ ἀκροωμένου*, tertia *ὑπόπτωσις* sive *ὁ τοῦ ὑποπίπτοντος*, et quarta *σύστασις* sive *ὁ τοῦ συνεστῶτος βαθμὸς* erat, innumeris constat testimoniis, quae apud plures diligentes rerum ecclesiasticarum tractatores [2] collecta videri possunt. *Poenitentia publica.*

Sed nemo ambigit, hanc disciplinam inductam primum fuisse, tum vero perenniter administratam clavium auctoritate. Ergo si hujus disciplinae effectus in terra conspicui maxime fuerint, nullo argumenti genere defendi poterit, ecclesiasticae potestatis eam esse naturam, ut quos parit effectus, iidem ad coelum reserventur.

XVI. *Romanae unitatis de civili societate cura.*

62. Neque eo etiam sensu ecclesia Christi spiritualis est societas, quod neque intendat, neque *procuret temporalem* [3] *status*

---

[1] Ep. II. c. 3.

[2] Cf. Caspar. Suicer. observat. sacr. cap. I. Binterim. Denkwürdigkeit. t. V. Hefele concilior. hist. passim.

[3] Recolantur, quae superius de romanae unitatis norma atque praescripto circa hanc rem praestituimus. Iuverit tamen illis adiecisse quae ad cives 1. *Obedientia.*

felicitatem. Inter ceteros errores postremus ille non est, quo natura ac denominatio societatis spiritualis eo sensu ecclesiae tribuitur, quasi illi nullatenus cordi esset status ordo ac tranquillitas, neque ullam daret operam, ut respublica floreat, et incolumis conservetur. Ista dum effutiunt homines male sani eo spectant, ut ecclesiam repraesentent veluti quae nullam de humanis rebus curam gerat, nihili ducat praesentem felicitatem ac reipublicae bonum, proindeque nec iis se opponat, quae statum perturbare, neque ea promoveat, quae juvare illum possint. Sed falluntur egregie, et perspicue demonstrant, nescire se cujusmodi sit ecclesia, quae illius indoles, quae natura, et quae institutio.

2. *Fidelium preces.*

63. Noverint ergo, uti superius ostendimus, Scripturarum testimoniis, traditionis auctoritate, atque rerum ipsarum natura perspicuum esse, ecclesiam, cui veluti finis princeps proposita est suprema in coelis hominum beatitas, intendere, ac pro virili etiam satagere, ut reipublicae bene sit, imperium floreat, ac status ordo ac tranquillitas sancte custodiatur.

Paulus Apostolus.

64. Postquam universim edixit [1] Apostolus „Orandum esse pro omnibus hominibus„ continuo explicat et quinam omnium primi, et quem ob finem commendari Deo potissimum debeant: „Pro re-

---

gravi metu perculsos or. XVII. ed. Bill. 1609. vol. I. p. 270. A—C. disseruit *Gregorius naz.* Gregorius nazianzenus: *Ἔστι καὶ οὗτος εἷς τῶν ἡμετέρων νόμων καὶ οὗτος τῶν ἐπαινουμένων καὶ κάλλιστα διατεταγμένων τῷ πνεύματι, τὸ δύνατον μετὰ τοῦ καλοῦ δοκιμάσαντι καὶ νομοθετήσαντι ὥσπερ δούλοις ὑπακούειν δεσπόταις, καὶ γυναῖκας ἀνδράσι, καὶ κυρίῳ τὴν ἐκκλησίαν, καὶ μαθητὰς ποιμέσι καὶ διδασκάλοις. οὕτω δὲ καὶ πάσαις ἐξουσίαις ὑπερεχούσαις ὑποτάσσασθαι, οὐ μόνον διὰ τὴν ὀργὴν, ἀλλὰ καὶ διὰ τὴν συνείδησιν, ὡς ὑποτελεῖς φόρου τυγχάνοντας καὶ μὴ κακοποιοῦντας μισεῖν τὸν νόμον, μηδὲ ἀναμένειν τὴν μάχαιραν, ἀλλὰ τῷ φόβῳ καθαιρομένους ἐπαινεῖσθαι ὑπὸ τῆς ἐξουσίας*: „Jamvero inter ceteras nostrae doctrinae leges hanc quoque habemus cumprimis laudandam, et a Spiritu, qui id quod praestare possumus cum eo quod pulchrum et honestum est exploravit legeque sanxit, praeclare constitutam, qua ut servi heris suis et uxores viris et ecclesia Christo, et discipuli magistris ac pastoribus dicto audientes esse atque obtemperare iubentur, ita nobis etiam praescribitur, ut sublimioribus potestatibus pareamus non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam (i. e. non solum propter poenam sed propter officium), ut qui pendendo tributa simus obnoxii: nec committamus ut ob scelera et flagitia nostra legem odio habeamus ac vindicem gladium exspectemus: quin potius id agamus, ut per timorem purgati laudem a potestate consequamur.„

[1] I. Tim. cap. II. 1 sqq.

gibus, et omnibus qui in sublimitate sunt, ut quietam et tranquillam vitam agamus in omni pietate et castitate.„ [1]

Igitur injungit ecclesiae, ut pro moderatoribus reipublicae preces ad Deum fundat, atque a Deo impetret status quietem et tranquillitatem. Sed quis in animum inducat suum, ab ecclesia negligi, non intendi, non procurari illud ipsum, pro quo apostolicis erudita institutionibus Deum exorat, atque a Deo summis infimisque precibus efflagitat?

Quid vero illa sibi volunt Apostoli „ut quietam et tranquillam vitam agamus in omni pietate et honestate?„ Haec demonstrant ad sanctitatem vitae, ad honestatem actionum, ad virtutum culturam plusquam mediocriter conferre reipublicae pacem, et status tranquillitatem. Atqui ecclesia intendit vehementer, et procurat sollicite sanctimoniam, honestatem, virtutum exercitationem. Ergo non potest non secundario intendere, ac prope ex consequenti procurare reipublicae ordinem, et status felicitatem, e quibus priora illa sin minus absolute, aliquo tamen modo certissime pendent. Itaque contradicunt Apostolo, qui hanc sibi fingunt ecclesiae non imaginem, atque speciem ad vivum expressam, sed fallacem adumbrationem, quod illam nulla de humanis rebus cura tangat, nihili ducat, quae ad civilem statum referuntur.

65. Ceterum eadem, qua Apostolus ratione, usus jamdiu fuerat Jeremias. Jeremias. Adhortans namque Judaeos Babylone captivos, ut Domini Dei sui recordarentur, legemque ab ipso acceptam sedulo custodirent; istud quoque addidit Jeremias: [2] „Et quaerite pacem civitatis ad quam transmigrare vos feci, et orate pro ea ad Dominum, quia in pace illius erit pax vestra.„ Quasi diceret: vobis summopere cordi esse debet pax civitatis, atque a Deo precibus efflagitanda; pax enim vestra, et tranquillum religionis studium vix aut ne vix quidem cum reipublicae turbis et civitatis inordinatione componi potest.

Scilicet et Jeremias et Paulus gravissimis denuntiant sententiis, ecclesiae bonum cum reipublicae tranquillitate arctissimis nexibus cohaerere. Qui ergo illud intendunt et procurant, hanc quoque intendant et procurent necesse est.

[1] *Ἐν πάσῃ εὐσεβείᾳ καὶ σεμνότητι, in omni pietate et honestate.*
[2] XXIX. 7.

Historia. 66. Quod si de ecclesiae mente atque studiis [1] ferri judicium ex factis debeat, res est in tuto, et nonnisi absurde adduci in quaestionem potest.

Ecquid enim discimus ex vetustissimis ecclesiae scriptoribus, Justino [2], Origene [3], Eusebio [4]? Discimus hanc fuisse ecclesiarum omnium consuetudinem, ut a Deo principibus quamquam perditissimis, et ferarum more in christianos saevientibus, primo quidem veram adprecarentur fidem, tum sanam mentem, qua rempublicam rite administrarent, atque una cum felicitate status ecclesiae bonum promoverent. Omnium loco audiatur [5] Tertullianus: „In coelum suspicientes christiani, manibus expansis, quia innocuis, capite nudo, quia non erubescimus, denique sine monitore, quia pectore oramus, precantes sumus semper pro omnibus imperatoribus vitam illis prolixam, imperium securum, domum tutam, exercitus fortes, senatum fidelem, populum probum, orbem quietum, et quaecunque hominis et Caesaris vota sunt.„

Tertullianus.

3. *Morum probitas.* 67. Sed non precum ambitu emolumenta continentur, quae ex ecclesia in rem publicam dimanant. Quid opportunius, vel necessarium magis reipublicae civium probitate et sanctimonia? atqui utramque suis institutionibus, sua disciplina procurat ecclesia.

4. *Religio.* 68. Quid opportunius vel necessarium magis [6] religione adversus Deum? atqui ecclesia est, quae civium animos vera imbuit religione.

5. *Obsequium.* 69. Quid opportunius, vel necessarium magis obsequio et officio, quae principibus deferantur? atqui haec maxime inculcat,

---

[1] Vide Taparelli sag. teor. di dritt. nat. vol. II. adnott. CXVI. tum ibid. vol. I. nn. 220 sqq. 890 sqq.

[2] Apolog. II.

[3] Con. Cels. l. VIII.

[4] Euseb. H. E. l. IV. c. 26.

[5] Apolog. adv. gent. c. 30.

[6] Imperium hominis in hominem et obedientia hominis homini praestita innituntur hac persuasione, velle Deum ut homini imperanti homo obediat. Eo autem Dei voluntatem reapse pertinere ex eo patet quod Deus est auctor humanae societatis, quae absque imperio ordinata ut oportet esse nequit. Attamen aliud est imperandi potestas ac vis, et aliud potestatis subiectum, quod generatim vel omnes vel plures vel unum exsistit. Videsis Suares. defens. fid. cathol. adv. anglic. sect. error. l. III. cc. 1 sqq. de legib. l. III. cc. 1 sqq.

divinam potestatis originem aperit, inobedientiam sanctione omnium maxima punit, et incitamenta praebet omnium efficacissima, queis cives ad obsequium et obedientiam compellantur. Non habeo quomodo ista illustrem praeclarius quam in medium proferendo, quae Paulus et Petrus docent.

Sic ergo ille: [1] „Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit: non est enim potestas nisi [2] a Deo, quae autem sunt, a Deo ordinata sunt. Itaque qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit. Qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt: nam principes non sunt timori boni operis, sed mali. Vis autem non timere potestatem? bonum fac, et habebis laudem ex illa: Dei enim minister est tibi in bonum. Si autem malum feceris, time: non enim sine causa gladium portat. Dei enim minister est: vindex in iram ei, qui malum agit. Ideo necessitate subditi estote non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam. Ideo enim et tributa praestatis: ministri enim Dei sunt, in hoc ipsum servientes. Reddite ergo omnibus debita: cui tributum, tributum; cui vectigal, vectigal; cui timorem, timorem; cui honorem, honorem.„ *Paulus.*

Et Petrus: [3] „Subjecti igitur estote omni humanae creaturae propter Deum: sive regi quasi praecellenti: sive ducibus tamquam ab eo missis ad vindictam malefactorum, laudem [4] vero bonorum: quia sic est voluntas Dei, ut benefacientes obmutescere faciatis imprudentium hominum [5] ignorantiam.„ *Petrus.*

---

[1] Rom. XIII. 1—8.

[2] Ex his apparet, auctoritatem hominis in hominem dari nullam, nisi ad originem fontemque omnis superioritatis recurramus: hinc insita atque congenita vi eiusdem specificae naturae aequalitas omnium hominum non tollitur, nisi pie ac religiose Dei habeatur ratio. Qui ergo ex humana societate pietatem religionisque vim excludere satagunt, ii non magis Dei quam principum praesidumque societatis humanae hostes infensissimi censendi sunt.

[3] I. Epst. II. 13—15.

[4] His Apostolorum princeps officium munusque principum societatis significat, idque in iustitia distributiva situm, qua pro meriti ratione dispensare praemia et pro ratione demeriti irrogare poenas tenentur: hoc enim ad illorum finem missionemque spectat.

[5] Prudenter ergo, scite sapienterque cum omni obedientia Petrus fidelibus se erga principes habere praecipit itemque praecipit Paulus. Principes autem quibus sua aetate obediendum esse scripserunt, non erant utcunque hostiles, sed atrocissimi christianae oeconomiae inimici, puta Neronem. Vexationes ergo, licet religiosae fuerint, ex Apostolorum auctoritate iustum

A quibus haec alia eiusdem Apostoli [1] verba seiungi non debent: „Servi subditi estote in omni timore dominis, non tantum bonis et modestis, sed etiam discolis. Haec est enim gratia, si propter Dei conscientiam sustinet quis tristitias patiens injuste.„

Ratum igitur fixumque maneat, non ideo ecclesiam unitatemque romanam societatis spiritalis nomine donari, quod quae ad rempublicam spectant neque curet neque promoveat. [2]

XVII. *Romanae unitatis vincula externa solvi ac deseri citra ruinam nequeunt.*

Externa et publica exigitur subiectio.

70. Corollarium VIII. Quod si unitatis romanae tam fides quam caritas atque concordia oportet socialis sit, si publica factisque manifestanda externis; apparet frustra sibi de ejus civitate illos blandiri, qui vel spretis vel insuper habitis communibus vinculis ad suam provocant in fide constantiam et in dilectione perseverantiam. Ad eos enim auctoribus Barnaba [3] et Clemente alexandrino [4] haec spectant Isaiae [5] prophetae: „Vae illis, qui sibi solis intelligunt, et apud se docti videntur:„ et ad eosdem haec quoque romani [6] Clementis, quibus corinthiacam scissuram

Isaias.

Clemens romanus.

---

fidelitatis negandae titulum subditis praebere non possunt. Hanc vero apostolicam doctrinam in romana unitate fideliter conservatam esse ab Hieronymo superius accepimus, eamque usque modo servari recentiora et recentissima praesulum nominatimque romani antistitis pastorales litterae testantur.

[1] Ibid. vv. 18—19.

[2] Quum hac de re plura quam allegari queant scripta in lucem prodierint, appellasse satis sit ad duas orationes academicas quarum alteram an. 1855. Monachii habuit cl. vir D. Ringseiss: „Pontific. de civili societ. et scient. merita„: alteram an. 1862. eruditus vir Fr. Hettinger „de organismo disciplinarum in scientiarum universitatibus„ pp. 71 sqq.

[3] Epist. l. 4. Non separatim debetis seducere vos tanquam justificati, sed in unum convenientes inquirite, quod communiter dilectis conveniat et prosit. Dicit enim Scriptura: „Vae illis, qui sibi solis intelligunt et apud se docti videntur.„

[4] Str. l. II. n. 7. *Καὶ Βαρνάβας ὁ ἀπόστολος, οὐαὶ οἱ συνετοὶ παρ᾽ ἑαυτοῖς καὶ ἐνώπιον αὐτῶν ἐπιστήμονες προτάξας ἐπήγαγεν· πνευματικοὶ γενώμεθα, ναὸς τέλειος τῷ θεῷ· ἐφ᾽ ὅσον ἐστὶν ἐφ᾽ ἡμῖν, μελετῶμεν τὸν φόβον τοῦ θεοῦ, καὶ φυλάσσειν ἀγωνιζώμεθα τὰς ἐντολὰς αὐτοῦ, ἵνα ἐν νοῖς δικαιώμασιν αὐτοῦ εὐφρανθῶμεν.*

[5] Is. V. 21.

[6] Ad Corinth. ep. I. n. 1. *Βράδιον νομίζομεν ἐπιστροφὴν πεποιηκέναι περὶ τῶν ἐπιζητουμένων παρ᾽ ὑμῖν πραγμάτων, τῆς τε ἀλλοτρίας καὶ ξένης τοῖς ἐκλεκτοῖς τοῦ θεου μιαρὰς καὶ ἀνοσίου στάσεως, ἣν ὀλίγα πρόςωπα προπετῆ καὶ αὐ-*

condemnat: „Seditionem impiam ac detestandam, Dei electis peregrinam et alienam, quam pauci homines temerarii et audaces in tantum insolentiae accenderunt, ut honorificum et illustre nomen vestrum et ab omnibus amari [1] dignum vehementer blasphemetur.„ Utinam porro qui tales sunt, has ejusdem discipuli et successoris Apostolorum principis admonitiones [2] audirent atque sequerentur: „Justum igitur et pium est, inquit, viri fratres, Deo potius obedientes nos esse, quam in superbia et turbulentia detestandae aemulationis duces et auctores sequi. Detrimentum enim non leve, immo vero grande periculum sustinebimus, si praecipitanter voluntatibus hominum nos tradiderimus, qui ad contentionem et seditiones collineant, ut nos ab eo quod rectum et bonum est abalienent.„ Et propterea [3] concludit: „Adhaereamus itaque iis, qui cum pietate pacem colunt, non autem iis, qui cum simulatione pacem volunt.„ Sed ubi et quinam sint pacis cum pietate cultores, arduum ex praestitutis non est novisse, idemque multo etiam evidentius ea patefacient quae jam exponenda adgredimur.

CAPUT III.

De romanae unitatis principio.

I. *Singularium ecclesiarum unitas ex episcopis singularibus.*

71. Nemo est, qui non facile assequatur, fidem concordiamque communem, objectivam, socialem et publicam requirere principium causamve communem, objectivam, socialem pariterque

I. *Episcopi vis.*

θάδη ὑπάρχοντα εἰς τοσοῦτον ἀπονοίας ἐξέκαυσιαν, ὥστε τὸ σεμνον καὶ περινόητον καὶ πᾶσιν ἀνθρώποις ἀξιαγάπητον ὄνομα ὑμῶν μεγάλως βλασφημηθῆναι.

[1] Nonne haec ad amussim quadrant hinc in romanam nostra hac tempestate ecclesiam, et inde in calamitosos illos homines qui incredibili audacia ac temeritate, pari vanitate atque insolentia abrepti in illam insurgunt, cuius lacte enutriti fuerunt?

[2] Ibid. n. 14. *Δίκαιον οὖν καὶ ὅσιον ἄνδρες ἀδελφοὶ, ὑπηκόους ἡμᾶς μᾶλλον γενέσθαι τῷ θεῷ ἢ τοῖς ἐν ἀλαζονείᾳ καὶ ἀκαταστασίᾳ μυσαρᾷ ζήλους ἀρχηγοῖς ἐξακολουθεῖν. Βλάβην γὰρ οὐ τὴν τυχοῦσαν, μᾶλλον δὲ κίνδυνον ὑποίσομεν μέγαν, ἐὰν ῥιψοκινδύνως ἐπιδῶμεν ἑαυτοὺς τοῖς θελήμασιν τῶν ἀνθρώπων, οἵτινες ἐξακοντίζουσιν εἰς ἔριν καὶ στάσεις, εἰς τὸ ἀπαλλοτριῶσαι ἡμᾶς τοῦ καλλῶς ἔχοντος.*

[3] Ibid. n. 15. *Τοίνυν κολληθῶμεν τοῖς μετ' εὐσεβείας εἰρηνεύουσιν, καὶ μὴ τοῖς μεθ' ὑποκρίσεως βουλομένοις εἰρήνην.*

publicam. Omnes vero norunt, huc pertinere eorum magisterium ac regimen, quos Spiritus sanctus posuit [1] regere ecclesiam Dei, quique interpellatam numquam seriem successionemque doctorum pastorumque [2] ecclesiae efficiunt atque constituunt. Neque enim per alios animorum et labiorum, voluntatum ac virium tanta tot hominum varietas per singulas aetates ad unionem harmoniamque sentiendi, loquendi agendique revocatur, quam per succedentes sibi jugiter episcopos.

Ignatius M. Insignius ad hoc comprobandum afferri nihil potest, quam quod quavis epistola docet s. M. Ignatius: satis modo haec [3] sint ex ejus ad Ephesios epistola: „Decet itaque vos omnibus modis glorificare Jesum Christum qui glorificavit vos, ut in obedientia una sitis perfecti eadem mente eademque sententia idemque dicatis de eodem omnes, ut subjecti episcopo et presbyterio per omnia sanctificati sitis.„ His autem evidenter Ignatius non modo fidei conjunctionisque socialis necessitatem, sed utriusque etiam fontem docet atque principium: nimirum magisterium ac regimen episcopi suique presbyterii.

2. Extra unitatem episcopi nulla salus. Hinc [4] pergit: „At quum caritas non sinat me tacere de vobis, propterea anteverti vos admonere, ut uniamini in sententia Dei. Etenim Jesus Christus inseparabilis nostra vita, sententia Patris est, ita et episcopi per tractus terrae constituti in sententia Jesu Christi sunt.„ Quemadmodum ergo cum Patris aeterni sententia convenit Christi doctrina, ita cum Christi doctrina episcoporum praedicatio cohaeret, qui propterea per orbem constituti sunt, ut salutari eadem veritate omnes imbuantur. Post quae [5] colligit:

---

[1] Act. XX. 28.

[2] Ephes. IV. 11.

[3] N. 2. *Πρέπον οὖν ἐστι κατὰ πάντα τρόπον δοξάζειν Ἰησοῦν Χριστὸν τὸν δοξάσαντα ὑμᾶς ἵνα ἐν μιᾷ ὑποταγῇ ἦτε κατηρτισμένοι τῷ αὐτῷ νοῖ καὶ τῇ αὐτῇ γνώμῃ, καὶ τὸ αὐτὸ λέγητε πάντες περὶ τοῦ αὐτοῦ, ἵνα ὑποτασσόμενοι τῷ ἐπισκόπῳ καὶ τῷ πρεσβυτερίῳ κατὰ πάντα ἦτε ἡγιασμένοι.*

[4] Ib. n. 3. *Ἀλλ' ἐπεὶ ἡ ἀγάπη οὐκ ἐᾷ με σιωπᾶν περὶ ὑμῶν, διὰ τοῦτο προέλαβον παρακαλεῖν ὑμᾶς ὅπως συντρέχητε τῇ γνώμῃ τοῦ Θεοῦ. Καὶ γὰρ Ἰησοῦς Χριστὸς τὸ ἀδιάκριτον ἡμῶν ζῆν, τοῦ Πατρὸς ἡ γνώμη, ὡς καὶ οἱ ἐπίσκοποι, οἱ κατὰ τὰ πέρατα ὁρισθέντες ἐν Ἰησοῦ Χριστοῦ γνώμῃ εἰσίν.*

[5] N. 4. *Ὅθεν πρέπει ὑμῖν συντρέχειν τῇ τοῦ ἐπισκόπου γνώμῃ ὅπερ καὶ ποιεῖτε. Τὸ γὰρ ἀξιονόμαστον ὑμῶν πρεσβυτέριον τοῦ Θεοῦ ἄξιον οὕτως συνήρμοσται τῷ ἐπισκόπῳ ὡς χορδαὶ κιθάρᾳ. Διὰ τοῦτο ἐν τῇ ὁμονοίᾳ ὑμῶν καὶ συμφώνῳ ἀγάπῃ Ἰησοῦς Χριστὸς ᾄδεται. Καὶ οἱ κατ' ἄνδρα δὲ χορὸς γίνεσθε,*

„Unde decet vos in episcopi sententiam concurrere, quod et facitis. Nam memorabile vestrum presbyterium dignum Deo ita coaptatum est episcopo, ut chordae citharae. Propter hoc in consensu vestro et concordi caritate Jesus Christus canitur. Sed et vos singuli chorus estote et consoni per concordiam melos Dei recipientes in unitate cantetis voce una per Jesum Christum Patri, quo et vos audiat, et agnoscat ex iis, quae bene operamini membra esse vos Filii ipsius. Utile itaque est in immaculata unitate vos esse, ut et semper participetis Deo.„

3. Unitatis centrum episcopus.

Vigeat ergo oportet in Dei ecclesia concentus atque harmonia omnium, ita tamen ut pro instituto divinitus providentiae ordine populus fidelium contineatur auctoritate presbyterorum, quorum centrum episcopus, adeo ut singularum communionum sive ecclesiarum unitatis principium episcopi exsistant. Ita testatur ac docet apostolicus vir ac martyr et ipse episcopus, pastor et doctor in plaga ecclesiae orientali.

Irenaeus.

72. Pro eadem vero simul ac pro occidentali parte testis ejusdem rei gravissimus pariter est s. Irenaeus, episcopus rursum et martyr, qui praeter alia plura opportunissima haec [1] contra gnosticos statuit: „Traditionem itaque Apostolorum in toto mundo manifestatam in omni ecclesia adest (pronum est) respicere omnibus, qui vera velint videre, et habemus annumerare eos qui ab Apostolis instituti sunt episcopi in ecclesiis et successores eorum usque ad nos, qui nihil tale docuerunt neque cognoverunt, quale ab his deliratur. Etenim si recondita mysteria scissent Apostoli, quae seorsim et latenter ab reliquis perfectos docebant, his vel maxime traderent ea quibus etiam ipsas ecclesias committebant. Valde enim perfectos et irreprehensibiles in omnibus eos volebant esse, quos et successores relinquebant, suum ipsorum locum magisterii tradentes, quibus emendate agentibus fieret magna utilitas, lapsis autem summa calamitas.„ Nihil ergo magis perspicuum, quam eo episcopos jugemque eorum successionem pertinere, ut una eademque semper in ecclesiis fides, eademque Christi sancti-

---

ἵνα σύμφωνοι ὄντες ἐν ὁμονοίᾳ χρῶμα θεοῦ λαβόντες ἐν ἑνότητι ᾄδητε ἐν φωνῇ μιᾷ διὰ Ἰησοῦ Χριστοῦ τῷ Πατρὶ, ἵνα ὑμῶν καὶ ἀκούσῃ, καὶ ἐπιγινώσκων δι' ὧν εὖ πράσσετε, μέλη ὄντας τοῦ υἱοῦ αὐτοῦ. Χρήσιμον οὖν ἐστιν, ὑμᾶς ἐν ἀμώμῳ ἑνότητι εἶναι, ἵνα καὶ θεοῦ πάντοτε μετέχητε.

[1] Adv. haer. l. III. n. 3.

que Spiritus vita servetur et vigeat. Utramque enim ministerio eorum communicari porro [1] affirmat, quos Deus in ecclesia posuit, Apostolos nimirum, prophetas, doctores; ideoque concludit, „semetipsos fraudare a vita, qui non currunt ad ecclesiam, i. e. qui divisi sejunctique ab ecclesiae episcopis exsistunt.„

Cyprianus. 73. Testi postremo pro utraque ecclesiae plaga testimonium perhibenti, testique priori pro parte orientali testanti addemus tertium, qui pro occidentali suffragium ferat, itidemque martyrem atque episcopum nobilissimae florentissimaeque africanae ecclesiae s. Cyprianum. Is autem quum in gravissimis rerum adjunctis quidquid ad rem sive probandam sive illustrandam conferre possit depromere coactus fuerit, aptus inprimis ac dignus est, cujus mentem paullo diligentius exploremus. Jamvero solemne Cypriano esse, visibilem ecclesiae unitatem ab unitate legitimi pastoris derivare atque repetere, adeo ut eodem auctore alieni ab ecclesia censerentur, qui legitimis pastoribus non subessent, vel ipse animadvertit [2] Dodwellus. Et sane hanc fuisse Cypriani ratam sententiam ea luculenter ostendunt, quae idem disseruit cum alias tum potissimum in causis Novatiani atque Felicissimi.

Felicissimi fraudes. 74. Cum Felicissimus, et quinque ejusdem sacramenti presbyteri nonnullos ex lapsis a communione abstraxissent Cypriani legitimi pastoris, ac speciosis titulis scelus suum praetexerent; Cyprianus gravissima commotus [3] animarum sibi creditarum pernicie, ardentissimo quo potuit caritatis studio adhortari seductos coepit, „ut lupos vitarent, qui salutem promittunt, ne qui deliquit veniat ad salutem, qui ecclesiam spondent, dum id agunt ut qui illis credit, in totum ab ecclesia pereat.„

Ergo duo erant Cypriano indubitata, et quod extra unitatem ecclesiae nulla spes esset salutis: et quod unitas ecclesiae unitate legitimi pastoris contineretur.

Fortunatus pseudoëpiscopus. 75. Quae persuasio plebeculae quoque animos ita occupaverat, ut schismatis signiferi spe redeundi in ecclesiam ducerent et lac-

---

[1] Ibid. c. 24.
[2] Dissert. VII. Cyprianic
[3] Epist. 38. 40. 45.

tarent quos deceperant: quam fraudem nudavit ordinatio Fortunati quem pseudoëpiscopum carthaginiensem crearunt.

Audiatur Cyprianus: [1] „Namque ii quibus in praeteritum praestigia obtendebantur et dabantur verba fallacia, quod simul ad ecclesiam regressuri dicerentur, posteaquam viderunt illic pseudoëpiscopum factum, frustratos et deceptos se esse didicerunt, et remeant quotidie atque ad ecclesiam pulsant.„

Porro qui remeant atque ad januam pulsant, extra domum sunt. Ergo extra domum itidem sunt, et ab ecclesia extorres, qui a legitimi pastoris communione recedunt.

76. Novatiani adversus legitimum antistitem Cornelium factio sibi cum alios, tum etiam ex confessoribus non paucos devinxit. *Novatiana factio.*

Gravavit tantum facinus Cyprianum et contristavit, [2] ac intolerabili perculsi et pene prostrati pectoris moestitia perstrinxit, quod semet ipsi a Christi grege, et ab ejus pace atque concordia separassent: quod eos [3] de carcere prodeuntes schismaticus et haereticus error excepisset. Vagantur ergo extra ovile, neque dominici gregis concluduntur septis, qui legitimis pastoribus non cohaerent.

77. Quod cum pervidissent romani confessores Cypriani praesertim litteris excitati, illatum unitati damnum felici reditu repararunt. Etenim, ut Cornelius ait: [4] „Cognito suo errore, ad ecclesiam unde exierant, simplici voluntate venerunt.„ Habemus ergo cum Cypriano asserentem Cornelium, extra communionem legitimi pastoris haberi conventicula posse, ecclesiam non posse; ac proinde unumquemque episcopum in sua ecclesia principium esse unitatis, eique ab omnibus obtemperari oportere. *Cornelius P.*

78. Imo habemus et romanos confessores ejusdem doctrinae vindices, utpote qui suum confitentes errorem coram Cornelio et quinque aliis episcopis, et romano presbyterio, ipsaque plebe, *Romani confessores.*

---

[1] Epist. 55.
[2] Ita enim ipse loquitur epist. 44.
[3] Epist. 51.
[4] Epist. 46.

quae magno numero confluxerat, declararunt, [1] animo et corde se in ecclesia semper fuisse, quandoquidem non ignorarint, „unum Deum esse, et unum Christum esse Dominum, unum Spiritum sanctum, unum episcopum in ecclesia catholica esse debere.„

II. *Necessitas unitatis episcoporum et ecclesiarum singularium.*

79. Sed quum de catholica quae est romana unitate agitur, non una aliqua particularis fidelium societas, verum multitudo quaedam per terrarum orbem exsistentium communionum episcoporumque particularium animo et oculis objicitur: de quanam igitur unitate majores nominatimque Cyprianus disserunt, quam a singulis illis hic exigit et flagitat sive fidei sive caritatis conspirationem?

Cyprianus. Id gravissimis verbis Cyprianus [2] expressit, quum hanc sibi aliisque fratribus regulam dixit: „Quam unitatem firmiter tenere et vindicare debemus, maxime episcopi, qui in ecclesia praesidemus, ut episcopatum quoque ipsum unum atque indivisum probemus. Nemo fraternitatem mendacio fallat, nemo fidei unitatem perfida praevaricatione corrumpat. Episcopatus unus est, cujus a singulis in solidum pars tenetur. Ecclesia quoque una est, quae in multitudinem latius incremento foecunditatis extenditur.„

1. *Mutua episcoporum et plebium coniunctio.*

80. Ea ergo ab episcopis singulis procuranda efficiendaque unitas est, qua episcopatus catholicus probatur ac manifestatur unicus et indivisus. Sed unitas episcopatus per orbem universum diffusi non ea probatur ac manifestatur unitate qua particulares plebes suis praepositis adhaerent, verum ea, qua praepositi ipsi una cum suis plebibus mutuo omnes junguntur invicem invicemque copulantur.

Ad haec, eam unitatem efformandam efficiendamque Cyprianus episcopis praecipit, quae unitati episcopatus respondeat, cujus ratio una eademque in se vis, ad multos tamen per orbem semet protendit multisque communicatione proprius fit, ut porro per ipsos e multis ubique una eademque societatis credentium vis ac ratio efformetur. Unde clare patet, ecclesiarum unitatem con-

---

[1] Epist. 46.
[2] De unit. eccles.

junctione effici episcoporum, neque minorem esse necessitatem unionis conjunctionisque episcoporum inter se, quam est necessitas fidelium cohaerendi cum unitis conjunctisque episcopis.

81. Hinc satis non est Cypriano, ut quis cuivis adhaereat episcopo: non sufficit ei communicatio cum quovis episcopo: „Si quis, scribit [1] ad lapsos, cum Felicissimo se conjunxerit, eum postea ad ecclesiam redire, et cum episcopis et plebe Christi communicare non posse„: sed exigit ac flagitat conjunctionem cum episcopis vinculo catholicae unitatis cohaerentibus, ideoque hortatur [2] confessores, ut ad ecclesiam redeant, eisque [3] post reditum gratulatur, „quod ecclesiae veritas et evangelici sacramenti unitas, quae a nobis episcopis plebibusque catholicis tenebatur, eorum etiam consensu ac vinculo necteretur„ *2. Adhaerendum catholicae unitatis episcopis extra quam sancti nihil et pii.*

82. Qua de re ne ullus ambigendi locus reliquus sit, haec Cypriani disputatio efficit:

Invaserat Novatianus Romae episcopatum, et per emissarios suos idem facinus in aliis civitatibus tentarat. Cyprianus ut Novatiano addictos refellat, hoc praesertim adhibet argumentum: quod cum is solus episcopus sit, cujus episcopatus ab aliis collegis confirmatur et agnoscitur, si quis in ejus locum irruere audeat, nullam is cum episcopis ecclesiae catholicae habere communionem possit, ac proinde extra ecclesiam devius pereat. *Novatiani invasio.*

Verba Cypriani: [4] „Factus est autem Cornelius episcopus de Dei et Christi ejus judicio, de clericorum pene omnium testimonio, de plebis, quae tunc affuit suffragio, et de sacerdotum antiquorum et bonorum virorum collegio, cum nemo ante se factus esset, cum Fabiani locus, i. e. cum locus Petri et gradus cathedrae sacerdotalis vacaret; quo occupato de Dei voluntate atque omnium nostrum consensione firmato, quisquis jam episcopus fieri voluerit, *foris fiat* necesse est, nec habeat ecclesiasticam ordinationem qui ecclesiae non tenet unitatem.„ *Cornelius legitimus.*

Constituunt ergo singuli episcopi corpus unum, atque unum

[1] Epist. 40.
[2] Epist. 44.
[3] Epist. 51.
[4] Epist. 52.

episcopatum, ex cujus unitate illa efflorescit ecclesiae unitas, extra quam, Cypriano auctore, nihil reperitur sancti, nihil pii, religiosi nihil. Atqui ecclesiae unitas ex unitate sobolescens corporis episcoporum, non alia est ab unitate catholicae romanaeque ecclesiae.

3. *Episcopus catholicus nullus extra communionis vinculum. Cyprianus.*

83. Eodem argumenti genere demonstrat Cyprianus, episcopos a Novatiano in aliis civitatibus constitutos, non ad Christi, sed ad humanam ecclesiam spectare: [1] „Nisi si episcopus tibi videtur, qui episcopo in ecclesia a sedecim coëpiscopis facto, adulter atque extraneus episcopus fieri a desertoribus per ambitum nititur, et cum sit a Christo una ecclesia per totum mundum in multa membra divisa, item episcopatus unus episcoporum multorum concordi numerositate diffusus, ille post Dei traditionem, post connexam et ubique conjunctam catholicae ecclesiae unitatem humanam conetur ecclesiam facere, et per plurimas civitates novos apostolos suos mittat, ut quaedam recentia institutionis suae fundamenta constituat; cumque jam pridem per omnes provincias et per urbes singulas ordinati sint episcopi in aetate antiqui, in fide integri, in pressura probati, in persecutione proscripti, ille super eos creare alios pseudoëpiscopos audeat.„

4. *Episcoporum conspiratio abesse ab ecclesia catholica nequit.*

84. En 1) habes non rem dumtaxat, sed nomen quoque ipsum unitatis ecclesiae catholicae, quae alia non est quam unitas romana.

Porro 2) si nosse cupias, quomodo haec unitas efformetur, respondet tibi Cyprianus, efformari illam unitate episcopatus. Quod si perconteris, unde episcopatus unitas repetenda sit, audies derivari illam ex concordi singulorum episcoporum consensione.

Haec autem 3) unanimis episcoporum conspiratio traditione Domini praescribitur, neque abesse a Christi ecclesia potest: adeo ut si quae fiant extra hanc unitatem, fieri pariter extra unitatem verae ecclesiae censeantur.

Unde apparet 4) non absolute unumquemque episcopum in sua ecclesia principium esse unitatis, verum si cum aliis episcopis communicet; secus vero si ab unitate episcopatus discedat: tunc principium potius discordiae et schismatis habebitur.

---

[1] Epist. 52.

Quod 5) rursum declarat Cyprianus [1] contendens, etiamsi legitime fuissent ordinati, eos tamen episcopos novatianae factionis pro legitimis agnosci non posse, qui ab unitate catholica discesserunt: „Episcopatum autem tenere non posset, etiamsi episcopus prius factus a coëpiscoporum suorum corpore et ab ecclesiae unitate desciscceret.„

Itaque 6) ut quis sit episcopus, [2] maneat necesse est in ecclesiae unitate, in qua solum manebit, si coëpiscoporum suorum corpori communionis vinculo copuletur.

85. Hanc Cypriani, Cornelii, ac utriusque ecclesiae romanae et carthaginiensis praeclaram sententiam amplectuntur atque docent reliqui etiam ecclesiastici tractatores, adeo ut illam ex fonte dominicae traditionis promanare dubitari non possit. *5. Extra catholicam unitatem illegitimi et schismatici.*

Tertullianus [3] de praescriptionibus libro, ut probet „haeresim malum esse schismate pejus et acrius insectandum„ testimonio utitur ex Pauli ad Thessalonicenses epistola [4] scribens: „Denique si totum capitulum ad unitatem continendam et separationes coërcendas sapit; haereses vero non minus ab unitate divellunt, quam schismata et dissensiones, sine dubio et haereses in ea conditione reprehensionis constituit, in qua schismata et dissensiones: ac per hoc non eos probabiles facit, qui in haereses diverterint, cum maxime diverti ab ejusmodi objurgat, edocens unum omnes loqui, et idipsum sapere, quod etiam haereses non sinunt.„ *Tertullianus.*

Itaque 1) eam Paulus Tertulliano interprete affirmat esse ecclesiae unitatem, quam dilacerent schismata, corrumpant dissensiones. Sed neque Paulum loqui de unitate alicujus particularis ecclesiae, neque a Tertulliano intelligi quasi hoc sensu loqueretur; clarius est quam quod debeat illustrari. Ergo catholicae ecclesiae ea est unitas, quam schismata corrumpunt. Atqui nihil foret a schismatibus timendum unitati catholicae ecclesiae, nisi singulae particulares ecclesiae deberent caritatis nexibus jungi, atque in unum veluti corpus componi.

[1] Epist. 52.
[2] Licite, et quoad jurisdictionem.
[3] C. 5.
[4] I. c. 5.

Hinc 2) idem Tertullianus eodem in libro, [1] ut haereticos atque schismaticos ab ecclesia extorres convincat ait: „Communicamus cum ecclesiis apostolicis, quod nulla doctrina diversa.„ Quasi diceret, extra communionem ecclesiarum apostolicarum synagogae antichristi esse possunt, ecclesiae Christi non possunt.

Optatus milevitanus.

86. Concinit milevitanus Optatus, qui in priori libro de schismate donatistarum inquirens, quinam illi fuerint, ex quibus origo funestissimi schismatis repeti debeat; postquam ostendit tantum scelus tribui solum donatistis posse, naturam schismatis in eo sitam esse affirmat, quod unitatem episcopatus discindat.

Verba Optati: [2] „Et quia collegium episcopale nolunt nobiscum habere commune, non sint collegae si nolunt, tamen fratres sunt.„

Quibus hic subest sensus: Renuunt societatem, communionem, consortium cum episcopis catholicis; illis igitur collegae titulum denegabimus, minime vero fratrum nomen, quum distingui debeat inter fraternitatem et communionem, quando ad illam sufficiat unitas fidei et eadem nativitas, ad hanc vero praeterea necessaria sint externa caritatis et unitatis indicia. Quorum defectu licet aliquis non proprie reddatur haereticus, attamen extra ecclesiam atque spem salutis constituitur.

87. Quod iterum [3] declarat Optatus, quum recensens ecclesiae dotes, atque priori loco commemorans unitatem cathedrae, illico subdit: „Igitur de dotibus supradictis cathedra est (ut diximus) prima, quam probavimus per Petrum nostram esse, quae ducit ad se angelum. Nisi forte eum vobis vindicantes habetis in loculis clausum. Mittite illum si potestis, excludite septem angelos, qui sunt apud socios nostros in Asia, ad quorum ecclesias scribit Joannes Apostolus; [4] cum quibus ecclesiis nullum communionis probamini habere consortium. Unde vobis angelum, qui apud vos possit fontem movere, aut inter ceteras dotes ecclesiae numerari. Extra septem ecclesias quicquid foris est alienum est: aut si inde habetis aliquem unum, per unum communicatis et ceteris angelis,

[1] C. 21.
[2] De schismat. donat. N. 4. l. I.
[3] Libro II. n. VI.
[4] Apoc. I.

et per angelos supramemoratis ecclesiis, et per ipsas ecclesias nobis. Si ita est, litigium perdidistis.„

Ergo 1) inter dotes ecclesiae altero loco haberi debet angelus, scilicet episcopus legitimam habens potestatem suae ecclesiae regendae.

Atqui 2) carebant hujusmodi angelo donatistae, quandoquidem eorum episcopi cum reliquis non communicarent, neque a reliquis signa communionis acciperent.

Igitur 3) communio inter angelos eorumque conjunctio altera est ex dotibus ecclesiae.

88. Asserit idipsum Augustinus, quum Caeciliani episcopatum legitimum atque intra ecclesiam adversus donatistas propugnat, scribens [1]: „Non mediocris Carthago auctoritatis habebat episcopum, qui posset non curare conspirantem multitudinem inimicorum, quum se videret et romanae ecclesiae, in qua semper apostolicae cathedrae viguit principatus, et ceteris terris, unde evangelium ad ipsam Africam venit, per communicatorias litteras esse conjunctum.„ *Augustinus.*

Igitur 1) adprobari aliter nequit legitimus episcopatus, quam ex consensione cum ceteris praesulibus. *6. Probatio episcopatus legitimi.*

Quod 2) vel ipsis persuasum fuisse donatistis ex ratione deprehenditur, qua Caecilianum veluti illegitimum pastorem traducebant. Quaenam porro haec ratio? Nimirum, Augustino teste, [2] quod nulla Caeciliano cum episcopis donatistis esset communio, societas nulla. *Donatistarum persuasio.*

89. Hinc ecclesia numquam non dedit operam, ut haec inter episcopos communio certis eluceret indiciis. *7. Communionis tessera.*

Huc enim spectant litterae communicatoriae, pacificae, formatae, quarum apud veteres frequentissima mentio est, et quae sicuti habebantur velut indubium argumentum ecclesiasticae unionis probandae, ita ad hanc ipsam unionem continendam fovendamque adhibebantur. Sed de his deinceps.

---

[1] Epist. 13. n. 7.
[2] Ibidem.

III. *Episcoporum ecclesiarumque particularium omnium unitas e romano episcopo romanaque ecclesia.*

1. *Pastorum gregumque multitudo et unitas.*

90. Jamvero cum una sit ecclesia Dei, uti unus est et Deus et Christus unus, haec vero unitas tam interna quam externa in tanta plebium multitudine ex unitate pastorum dependeat, qui singulis ecclesiis praesunt et quibuscum harum singulae quaeque nexibus fidei atque caritatis cohaereant oportet: quaeritur de supremo omnium unitatis principio, quo ipsa quoque vinciatur copuleturque pastorum multitudo, adeo ut e credentium universitate unum constituatur ac prodeat ovile et unus efformetur grex?

Augustinus.

Scite sapienterque monet [1] Augustinus: „Quod unitas confirmat omnem multitudinem; et multitudo nisi unitate ligetur, rixosa et litigiosa [2] est; multitudo autem consors unam animam facit; sicut et ipsis illis qui acceperunt Spiritum sanctum, ut Scriptura dicit, [3] „Erat anima una et cor unum in Deum.„

91. Unde ergo omnium pastorum cum suis agnis unitatis [4] origo et fons? Unde tanta unitas tamque conspicua, quae ad divinae Trinitatis Christique Domini similitudinem expressa [5], vel ad humanae hypostaseos imaginem exacta argumento sit divinae auctoris sui missionis, qua „universa multitudo gentium [6] quae sunt sub coelo congregentur in congregationem unam divinae fidei et ecclesiae?„

Anastasius sinaita.

---

[1] Ser. CLVIII. de pentecost. n. 2. ap. Mai N. PP. Bib. t. I. p. 352.

[2] Quinam Augustino litigiosi rixosique sint ipse declarat ibidem p. 407. s. CLXXXII. n. 1. „Solent homines alterius religionis simplices quosque catholicos subtilissima et non simplici interrogatione provocare, ut cum eis aliquid de Trinitatis mysterio colloquantur, proponentes eis tortuosissimas quaestiones.„

Quibus consona sunt quae habet com. in ep. ad Tit. c. III. v. 9. Hieronymus col. 596. ed. Mign. tom. VII. „Satis forsitan de Hebraeorum supercilio et plus quam necesse fuerit dixerimus: sed occasio nobis data est de genealogiis et contentione ex rixis, quae ex lege veniunt, disserendi. Dialectici quorum Aristoteles princeps est, solent argumentationum retia tendere, et vagam rhetoricae libertatem in syllogismorum spineta concludere.„

[3] Act. IV. 32.

[4] Joh. X. 16.

[5] Joh. XVII. 20 sq. Ephes. IV. 13 sqq.

[6] Anast. sinait. in hexaëm. l. III. ad verba: „Congregetur aqua„ ap. Mign. gr. PP. t. 89. pp. 879 sqq.

Quodnam est principium, quo [1] „singulares ecclesiae mundi rectae sint fidei et una Christi universalis ecclesia exsistat?„ quo [2] „una quidem per totum orbem atque mare est ecclesia, unde orantes dicimus: Pro sancta et unica catholica et apostolica ecclesia a finibus usque ad fines terrae?„ „Rursus vero, pergit Theodoretus, [3] divisa est ipsa per civitates et oppida, quas propheticus sermo domos nuncupavit. Quemadmodum quaelibet civitas intus multas habet domos inter se divisas, et una tamen civitas nominatur; sic infinitae et innumerabiles sunt ecclesiae in insulis et in continenti: simulque omnes in unum rediguntur, verorum dogmatum unitae consonantia.„ Et iterum: [4] „Domos vero rursus, ut jam superius diximus, ecclesias nominat, quae per urbes et oppida et villas divisae sunt: nam eamdem et unam vocat et multas. Jubet itaque sermo propheticus sanctissimi Spiritus gratia, ut illi quibus salutaris praedicatio credita est, circumeant et concursent, et turres doctrina stabiliant, et reliquum ipsius robur confirment, et insuper distribuant ecclesiarum curam: quod quidem quadragesimo quinto psalmo diximus. Hoc enim et hoc in loco jubet: Distribuite domos ejus. Nimirum ut hic quidem hanc gubernet ecclesiam, ille vero illam, et suus cuique agricola praesit et congruentem ipsius curam gerat. Et hoc non semel atque iterum, sed omnibus saeculis faciendum jubet.„ *Theodoretus.*

---

[1] Ibid. p. 886.

[2] Theodoret. in Ps. XLVII. v. 4. ap. Mign. t. I. pp. 1212 sq. *Μία μέν ἐστι κατὰ πᾶσαν γῆν καὶ θάλασσαν ἐκκλησία· διὸ προσευχόμενοι λέγομεν· ὑπὲρ ἁγίας καὶ μόνης καθολικῆς καὶ ἀποστολικῆς ἐκκλησίας τῆς ἀπὸ περάτων ἕως περάτων τῆς οἰκουμένης.*

[3] Ibidem. *Διῄρηται δὲ πάλιν αὕτη κατὰ πόλεις καὶ κώμας καὶ ἀγρούς· ἃς βάρεις ὁ προφητικὸς προσηγόρευσε λόγος. Ὥσπερ ἑκάστη πόλις πολλὰς ἔνδοθεν οἰκίας ἔχει διῃρημένας, μία δὲ ὅμως ὀνομάζεται πόλις· οὕτω μυρίαι καὶ ἀριθμοῦ κρείττους εἰσὶν ἐκκλησίαι καὶ ἐν νήσοις καὶ ἐν ἠπείροις· εἰς μίαν δὲ κοινῇ πᾶσαι τελοῦσι τῇ συμφωνίᾳ τῶν ἀληθῶν ἡνωμέναι δογμάτων.*

[4] Ibid. ad vv. 13 sq. *Βάρεις δὲ πάλιν, ὡς καὶ ἤδη προειρήκαμεν, τὰς κατὰ πόλεις καὶ κώμας καὶ ἀγροὺς διῃρημένας ἐκκλησίας· τὴν γὰρ αὐτὴν καὶ μίαν λέγει καὶ πολλάς. Παρεγγυᾷ τοίνυν ὁ προφητικὸς λόγος, ἡ τοῦ παναγίου πνεύματος χάρις, τοῖς τὸ σωτήριον κήρυγμα πιστευθεῖσι, περινοστεῖν καὶ διατρέχειν, καὶ τούς τε πύργους στηρίζειν τῇ διδασκαλίᾳ, τήν τε ἄλλην αὐτῆς δύναμιν βεβαιοῦν, πρὸς δὲ τούτοις καὶ διανείμασθαι τὴν τῶν ἐκκλησιῶν ἐπιμέλειαν· ὃ δὴ καὶ ἐν τῷ τεσσαρακοστῷ πέμπτῳ ψαλμῷ προειρήκαμεν. Τοῦτο γὰρ καὶ ἐνταῦθα παρεγγυᾷ. Καταδιέλεσθε τὰς βάρεις αὐτῆς· ὥστε τοῦτον μὲν ταύτης, ἐκεῖνον δὲ ἐκείνης προμηθεῖσθαι τῆς ἐκκλησίας, καὶ ἑκάστῃ ἐπιστῆναι τὸν γεωργοῦντα καὶ τὴν προσήκουσαν ποιούμενον ἐπιμέλειαν. καὶ τοῦτο οὐχ ἅπαξ οὐδὲ δὶς ἀλλὰ καθ' ἑκάστην γενεὰν ἐπιτελεῖσθαι κελεύει.*

Ambrosius. 92. Verum quis domorum agricolarumque multitudinem ad civitatis unius uniusque campi catholici formam revocat? Quis in „sanctae ecclesiae congregatione [1] quae in unum connexum corpus atque compactum unitate fidei et caritatis assurgit„ capitis partes exsequitur, atque multiplicia corporis membra continet moderatur et regit? „Unum enim, ita cum majoribus omnibus pictaviensis [2] Hilarius, ecclesia corpus est, non quadam corporum confusione permixtum, neque singulis in indiscretum acervum et informem cumulum adunatis, sed per fidei unitatem, per caritatis societatem, per operum voluntatisque concordiam, per sacramenti unum in omnibus donum, unum omnes sumus.„ Sed ubi unitatis, societatis concordiaeque praesidium ac vinculum, quo disjecta quaquaversus membra disjunctaeque ex sese partes vitata confusione ad concentum harmoniamque rediguntur?

Hilarius pictaviensis.

2. *Romanus episcopus unitatis principium. Ecclesiae caput.*

93. Non alibi neque aliunde illa quaeras et petas omnia, quam ab urbe Romae antiquae romanaeque urbis pastore, qui suffragio majorum I. est diciturque totius catholicae societatis, visibilisque adeo corporis ecclesiae caput, ad quod qui sunt in ecclesia reliqui omnes, quamvis non eodem omnes gradu ac modo, tamquam dependentia membra referuntur. Egregie ad rem magnus Leo [3] perscripsit: „Haec connexio, inquit, totius quidem corporis unanimitatem requirit, sed praecipue exigit concordiam sacerdotum, [4] quibus quum dignitas sit communis, non est tamen [5] ordo generalis: quoniam et inter beatissimos Apostolos in similitudine honoris fuit quaedam discretio potestatis, et quum omnium par esset electio, uni tamen datum est, ut caeteris praeemineret. De qua forma quoque episcoporum est orta distinctio, et magna ordinatione provisum est, ne omnes sibi omnia vindicarent, sed essent in singulis provinciis singuli, quorum inter fratres haberetur prima sententia; et rursus quidam in majoribus urbibus constituti sollicitudinem susciperent ampliorem, per quos ad unam Petri sedem universalis ecclesiae cura conflueret, et nihil usquam a suo capite dissideret.„

Leo M.

---

[1] Ambros. de off. ministror. l. III. c. 3. n. 19. coll. Pseudo-Hieron. in Ps. 23. v. 6.

[2] In Ps. CXXI. n. 5.

[3] Ep. ad Anast. thessalon.

[4] Sacerdotes significat primi ordinis adeoque episcopos uti monuimus.

[5] Haec orientalium petunt scissionem.

Neque insignia minus tradidit [1] Ambrosius Gratianum Augustum affatus: „Totius orbis romani caput romanam ecclesiam atque illam sacrosanctam Apostolorum fidem ne turbari sineret, obsecranda fuit clementia vestra; inde enim in omnes venerandae communionis jura dimanant.„ *Ambrosius.*

A quibus sejungi verba [2] non debent Fulgentii, quibus celebrat romanam, quae mundi caput est, ecclesiam: neque Brunonis astensis, quibus [3] pronuntiat: „Absit hoc a catholica atque apostolica et romana ecclesia, quae caput et fundamentum ac speculum dicitur et probatur esse omnium ecclesiarum, quam Deus et Dominus noster Jesus Christus per semetipsum aedificare dignatus est.„ *Fulgentius.* *Bruno astensis.*

94. Et ne occidentalibus inniti solis videamur, praesto sunt haec sane splendida e chalcedonensium [4] Patrum ad Leonem M. relatione, quibus romanum episcopum ita alloquuntur: „Repletum [5] est gaudio os nostrum, et lingua nostra exultatione. Hanc tamquam propriam nobis prophetiam gratia coaptavit, a quibus pietatis est restitutio confirmata. Quid enim fide sublimius ad laetandum? Quid agnitione dominica festivius ad coronas, quam nobis olim Salvator ipse tradidit ad salutem [6] inquiens: Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti; docentes eos servare omnia quaecunque mandavi vobis? Quam veluti auro textam seriem, ex veste Christi et praecepto legislatoris venientem usque ad nos, ipse servasti, vocis beati Petri [7] omnibus constitutus interpres, ejus fidei beatificationem super omnes adducens. Unde et nos quippe ut inchoatore [8] *Synodus chalcedonensis.*

---

[1] Epp. cl. I. ep. XI. n. 4.

[2] De incarnat. et gratia c. 3.

[3] Tract. de sacrif. azym. coll. Marcel. ancyr. ep. ad Jul. Pont.

[4] Apud Harduin. tom. I. p. 655.

[5] Ps. CXXV.

[6] Matth. XXVIII.

[7] Quibus ad vivum expressa apparet Petri in successoribus suis perpetuitas.

[8] His significatur romanus praesul dogmatum praeformator: quod quidem postea disertius effertur verbis: „quas (delicias spirituales, quae sunt coelestia dogmata) per tuas litteras Christus praeparaverat.„ Sed et illud postremo hoc inciso indicatur, cum Petri successore, dogmatum praeformatore, ipsum esse Christum.

bonorum te ad utilitatem utentes, ecclesiae filiis hereditatem sortemque veritatis ostendimus: non singulatim faciente in occulto [1] unoquoque doctrinam, sed uno spiritu, una conspiratione atque concordia confessionem fidei declarantes: et eramus in communi corona gaudii, quasi in imperialibus coenis, deliciis spiritualibus epulantes, quas per tuas litteras Christus praeparaverat invitatis, et super coelestem sponsum inter nos conversantem nos cernere putabamus. Si enim ubi sunt duo aut tres congregati in nomine ejus, ibi se [2] in medio eorum fore perhibuit, quantam circa quingentos viginti sacerdotes peculiaritatem (al. familiaritatem) potuit demonstrare, qui et patriae et labori suae confessionis notitiam praetulerunt? Quibus tu quidem, sicut membris caput, praeeras in his qui tuum tenebant [3] ordinem, benevolentiam praeferens. Imperatores vero fideles ad ordinandum decentissime praesidebant sicut Zorobabel et Jesus, ecclesiae tamquam Jerusalem aedificationem renovare circa dogmata annitentes (al. invitantes).„ Quibus uti suus fideli principi locus assignatur, ita romani praesulis praerogativa effertur, qua 1) ipse est doctrinae Christi servator;

ipse 2) constitutus omnibus interpres salutiferae Petri confessionis;

ipse 3) eamdem beatam fidem omnibus proponens;

ipse 4) bonorum inchoator, quem episcopi praeformantem sequuntur;

ipse 5) spiritualium Christi deliciarum quibus episcopi fruuntur praeparator:

ipse tandem 6) uti caput episcopis praeest.

Hinc precantes [4] absolvunt: „Rogamus igitur, et tuis decretis nostrum honora judicium, et sicut nos capiti in bonis adjecimus consonantiam, sic et summitas tua filiis quod decet adimpleat.„

95. Quorum splendori non cedunt quae leguntur [5] in Concilio

[1] Excluditur fides privata quae dicitur, et fides externa ac socialis exponitur.

[2] Matth. XVIII.

[3] Significatur utrumque, et ordinis episcopalis aequalitas et Leonis pontificalis superioritas.

[4] Ibid. p. 659.

[5] Act. II. ap. Harduin. t. I. p. 1471. *Φίλιππος πρεσβύτερος καὶ πρεσβευτὴς τῆς ἀποστολικῆς καθέδρας εἶπε· χάριτας ὁμολογοῦμεν τῇ ἁγίᾳ καὶ σεβασμίᾳ συνόδῳ, ὅτι ἀναγινωσκομένων ὑμῖν τῶν γραμμάτων τοῦ ἁγίου καὶ μακαρίου*

ephesino. Postquam Coelestini judicio adversus Nestorii haeresim Patres acclamarunt, haec pronuntiata a Philippo presbytero et apostolicae sedis (cathedrae) legato fuerunt: „Gratias agimus sanctae venerandaeque synodo, quod litteris sancti beatique Papae nostri vobis recitatis, sancta membra sanctis vestris vocibus, sancto capiti, sanctis etiam vestris exclamationibus, vos adjunxeritis. Non enim ignorat vestra beatitudo, totius fidei [1] vel etiam Apostolorum caput esse beatum Apostolum Petrum. Proinde cum nostra mediocritas multis tempestatibus jactata et vexata serius accesserit, rogamus ut ea nobis patefieri mandetis, quae ante adventum nostrum in sancta hac synodo acta sunt; quo juxta beati Papae nostri, praesentisque hujus sancti coetus sententiam, nos quoque confirmemus conformiter eorum depositioni.„ *Synodus ephesina.*

In eo ergo Oriens cum Occidente plane conspirat, romanum episcopum in orbe catholico capitis praerogativa excellere partesque capitis habere atque obire. Sed capitis est, continere membra corporis; non alibi ergo neque apud alios quaerendae unitatis catholicae radices, quam apud ipsam romanae urbis cathedram ejusque antistitem. *Antiqua Orientis cum Occidente conspiratio.*

96. Neque aliunde aut ab aliis quam ab Urbe et uno ejus pastore unitatis fundamenta repetenda esse, inde II. patet, quod illius urbis pastorisque ecclesia uti fons exhibetur, ad quem reliquae per orbem ecclesiae rivulorum instar se habent. *3. Romanus praesul unitatis fons.*

Quinque Africae episcopi: Aurelius, Alypius, Augustinus, Evodius et Possidius litteris [2] ad Innocentium I. post celebratas synodos carthaginiensem et milevitanam datis liquido rem explicant. Petita enim prolixioris sermonis venia [3] subdunt: „Non enim *Africani episcopi.*

πάπα ἡμῶν, τὰ ἅγια μέλη ταῖς ἁγίαις ἡμῶν (al. ὑμῶν) φωναῖς, τῇ ἁγίᾳ κεφαλῇ καὶ ταῖς ἁγίαις ὑμῶν ἐκβοήσεσιν ἐνηνόχατε· οὐ γὰρ ἀγνοεῖ ὑμῶν ἡ μακαριότης, ὅτι ἡ κεφαλὴ ὅλης τῆς πίστεως ἦ καὶ τῶν ἀποστόλων ὁ μακάριος Πέτρος ὁ ἀπόστολος. καὶ ἐπειδὴ νῦν τὸ μέτριον τὸ ἡμέτερον πολλοῖς χειμώσι καὶ σκυλμῷ (al. ἐσκυλμένον) βραδύτερον παρεγένετο, διὰ τοῦτο παρακαλοῦμεν, τὰ ἐν τῇ ἁγίᾳ συνόδῳ πρὸ τῆς ἡμῶν ἀφίξεως πεπραγμένα ἡμῖν φανερωθῆναι κελεύσητε· ἵνα κατὰ τὴν γνώμην τοῦ μακαρίου τοῦ πάπα ἡμῶν, ἔτι γε μὴν καὶ τοῦ παρόντος ἁγίου συλλόγου, καὶ ἡμεῖς ὁμοίως τῇ αὐτῶν καταθέσει βεβαιώσωμεν.

[1] Fidei ergo membrum non est qui Petro fidei capiti non iungitur.

[2] Est inter Augustin. epp. CLXXVII.

[3] Ibid. n. 19.

rivulum nostrum tam largo fonti augendo refundimus, sed in hac non tamen parva tentatione temporis, unde nos liberet, cui dicimus, ne nos inducas in tentationem, utrum etiam noster licet exiguus ex eodem quo etiam tuus abundans [1] emanet capite fluentorum, hoc a te probari volumus, tuisque rescriptis de communi participatione unius gratiae consolari.„ Scilicet hac illi allegoria docent, non secus doctrinam particularium sedium veram et apostolicam inde probari, quod illa ostendatur eadem cum romanae cathedrae praedicatione, ac rivulorum latices inde genuini ac puri probantur, quod cum suo illi fonte cohaerere et ab eo irrigari ostendantur.

97. Id quod rursum africani praesules [2] contestantur profitentes: „Magnum et indeficientem omnibus christianis fluenta redundantem apud apostolicam sedem consistere fontem nullus ambigere possit, de quo rivuli prodeunt affluenter, universum largissime irrigantes orbem christianorum, cui etiam in honore beatissimi Petri patrum decreta peculiarem omnem decrevere reverentiam in requirendis Dei rebus, quae omnino et sollicite debent, maxime vero justeque ab ipso praesulum examinari vertice apostolico, cujus vetusta sollicitudo est tam mala damnare, quam probare laudanda.„

Innocentius I. 98. Quae confirmat [3] ipse Innocentius ad episcopos africanos scribens, „inde (a sede sua) ceteras ecclesias (velut de natali suo fonte aquae cunctae procederent, et per diversas mundi regiones puri capitis incorruptae manarent) quid praecipere (al. praeciperent, abluerent), quos abluere, quos veluti in coeno inemundabili sordidatos mundis digna corporibus unda vitaret„ accipere. Et iterum ad milevitanos [4] idem: „Neque enim, scribit, hoc vestram credo latere prudentiam, qui id etiam actione firmastis, scientes quod per omnes provincias de apostolico fonte petentibus responsa semper emanent.„

Vinciuntur ergo provinciae ecclesiasticae omnes vi originalis fontis, qui Romae emanat et usque ad fines orbis non minus quam ad fines temporum dimanat et dimanabit.

[1] Amplitudine ergo episcopalis auctoritatis potestatisque prae reliquis episcopis excellit romanus.

[2] Ep. ad Theodor. pontif. lecta act. II. synod. later. sub Martino I.

[3] Rescript. ad conc. carthag. ap. Harduin. t. I. p. 1025.

[4] Rescript. Innocent. Pap. ad milev. conc. ap. Hard. l. c. p. 1028.

99. Hinc gallicanorum Patrum tributa [1] Leoni encomia una cum insigni gratiarum actione erga Deum, „quod tantae sanctitatis pontificem contulerit apostolicae sedi, unde religionis nostrae, propitio Christo, fons et origo manavit.„ *Episcopi Galliae.*

Est ergo res explorata compertaque omnibus, et est res apud antiquum fidelium nomen pervulgata et constans, unum exsistere supremum fontem orbis catholici, a quo is totus abundanter fluentis apostolicis irrigetur, quoque adeo fit ut totus apostolicus aeque ac unus persistat. Is vero alius non est a sede romana, quam Petrus fundavit suisque ornamentis ditavit. Apud eam ergo collocata fuerunt catholicae unitatis fundamenta.

100. Et sane III. ne illa quaeratur alibi, solemne majorum effatum vetat, quo originem exordiumque ipsum unius catholici episcopatus [2] a romanis antistitibus repetunt. Repetit [3] Siricius: „Cum in unum, ait, plurimi fratres convenissemus ad sancti Apostoli Petri reliquias, per quem et apostolatus et episcopatus in Christo coepit exordium.„ Repetit [4] primus Innocentius: „Incipiamus igitur, inquit, adjuvante (al. Deo et) sancto Apostolo Petro, per quem et apostolatus et episcopatus in Christo coepit exordium.„ Et idem [5] rursum: „Scientes, quid apostolicae sedi, quum omnes hoc loco positi ipsum sequi desideremus Apostolum [6], debeatur, a quo ipse episcopatus et tota auctoritas nominis hujus emersit.„ Et denuo [7] idem: „Praesertim quoties fidei ratio ventilatur, arbitror omnes fratres et coëpiscopos nostros nonnisi ad Petrum, i. e. sui nominis et honoris auctorem referre debere, velut nunc retulit vestra dilectio, quod per totum mundum possit ecclesiis omnibus in communi prodesse.„

1. Episcopatus romanus origo est et exordium totius episcopatus catholici. Traditio romana. Siricius P. Innocentius I.

101. Sed praeter romanos antistites idipsum repetit Caesarius arelatensis [8] ita Symmachum alloquens: „Sicut a persona beati *Traditio Galliae. Caesarius.*

[1] Epist. ad Leon. apud Labbé. concil. t. IV. p. 578.

[2] De quo supra statuimus.

[3] Ad Afric. epp. ann. 386. ep. V. n. 1. ap. Coustant. col. 651.

[4] Ep. ad Victric. rotomag. an. 404. ap. Coust. ep. II. col. 747.

[5] Ep. an. 417. data ad epp. carthag. ep. XXII. col. 888 sq.

[6] Ita κατ' ἐξοχὴν Petrus vocatur, sicut romana eius sedes κατ' ἐχοχὴν apostolica dicitur.

[7] Ad PP. milev. ep. XXX. col. 896.

[8] Ep. XIV. n. 2. lib. oblato Symmacho ap. Labbé. tom. V. p. 424. coll. ep. synod PP. gallic. ad Leon. I. ap. Labbé. t. IV. p. 578.

Petri Apostoli episcopatus sumpsit initium, ita necesse est, ut disciplinis competentibus sanctitas vestra singulis ecclesiis, quid observare debeant, evidenter ostendat.„

Traditio Africae. Ferrandus diaconus.

102. Tum Ferrandus [1] diaconus carthaginiensis repetit affirmans, decreta chalcedonensis concilii ex consensu sedis apostolicae, quae episcopatus fons est atque principium, accepisse robur invictum, ut nullus appellationi amplius locus exsistat.

Est ergo romana sedes uti episcopatus origo episcoporum ἀνακεφαλαίωσις: ad eam revocantur omnes, omnesque in ea rursum colliguntur, adeo ut ex ea una universorum unitas nectatur tota totaque pendeat.

5. Episcopi romani exsortes tituli. Pater Patrum.

103. Sed hoc IV. declarari apertius non potuit quam ea appellatione, qua utraque plaga orientalis aeque ac occidentalis romanum episcopum cohonestavit, quum illum Patrem Patrum, pastorem pastorum atque episcoporum episcopum [2] nuncuparent.

Orientales episcopi.

Ita orthodoxi episcopi sub Menna in synodum [3] coacti libello supplici ad Agapitum pontificem inscripserunt: „Domino nostro per omnia sanctissimo, et beatissimo Patri Patrum, archiepiscopo romanorum et patriarchae Agapito.„

Episcopi africani.

Et similiter africani episcopi in epistola trium simul conciliorum [4] lecta in synodo [5] lateranensi sub Martino I.: „Domino beatissimo, apostolico culmine sublimato, sancto Patri Patrum Theodoro papae et summo omnium praesulum pontifici.„ Sicut ergo universa familia cum filiis a patrefamilias, ita universa ecclesia cum suis episcopis in unitate continetur ac regitur a romano antistite, qui non filiorum tantum, sed patrum quoque pater exsistit. Referuntur ergo vel ipsi episcopi filiorum instar ad praesulem urbis uti ad patrem; immo vero referuntur ad eumdem uti oves ad suum pastorem.

---

[1] Ep. ad Pelag. et Anatol.

[2] Cf. Fr. Bernardin. Ferrar. de antiq. ecclesiast. epistol. gen. l. III. c. 1. et Stephan. Baluz. in adiectt. adnott.

[3] Contra Anthimum, Severum aliosque acephalos anno 536. ap. Labbé. t. V. p. 999.

[4] Numidiae, Byzacenae, Mauritaniae.

[5] Anni 649. ap. Labbé. t. VII. p. 131.

104. Est enim summus omnium pastor quemadmodum diserte contestantur archimandritae et monachi Syriae ita Hormisdam pontificem alloquentes: „Christus Deus noster principem pastorum et doctorem et medicum constituit vos: vos caput estis omnium.„ *Pastor pastorum. Orientales.*

Idem est teste Bernardo [1] „pastor pastorum omnium, quibus greges particulares commissi fuere.„ Quare Bruno astensis [2] de illo idem quod de Petro repetendum affirmavit scribens: „Prius agnos, deinde oves ei commisit, quia non solum pastorem, sed pastorem pastorum eum constituit. Pascit igitur Petrus agnos, pascit et oves; pascit filios, pascit et matres; regit et subditos et praelatos: omnium igitur pastor est, quia praeter agnos et oves in ecclesia nihil est.„ *Occidentales*

Videlicet non secus est diciturque ecclesia romana omnium matrix [3] materque [4], ac ejusdem episcopus est diciturque omnium pater: neque aliter idem romanus episcopus est omnium agnorum oviumque pastor, ac salutaria fidei communionisque pascua ad oves agnosque e romana sede et cathedra dimanant. *Ecclesia romana omnium matrix et mater.*

105. Atqui ut unitas illa custodiatur, patris est jubere, pastoris est regere, episcopi est praeesse. Et is sane V. est praesul romanus, qui auctore [5] Isidoro hispalensi omnibus praesit: „Sic nos scimus praeesse ecclesiae Christi, quatenus romano pontifici reverenter, humiliter et devote tamquam Dei vicario prae ceteris ecclesiae praelatis specialius nos fatemur debitam in omnibus obedientiam exhibere. Contra quod quemquam procaciter venientem tamquam haereticum, a consortio fidelium omnino decernimus alienum. Hoc vero non ex electione proprii arbitrii, sed potius auctoritate Spiritus sancti habemus firmatum, ratumque credimus et tenemus.„ Est ergo exploratae apud catholicos fidei, universale *6. Romani episcopi omnibus praesunt. Isidorus hispalensis.*

---

[1] De considerat. l. II. c. 8. Eodem jam spectavit Tertullian. de pudicit. c. 1.

[2] Hom. in vigil. fest. s. Pet.

[3] Cypr. ad Cornel., coll. Innocent. l. ep. II. n. 2. ad Victric. rotom., Caesar. arel. in lib. quem Symmacho obtulit, epp. gallic. ep. synod. ad Leon. I., PP. conc. aurel. V. t. V. conc. p. 1375, et afric. epp. ad Joh. et Vener.

[4] Ita vel ipsi orientales episcopi causantes Julium pontificem ap. Hard. t. I. p. 559: „Licet circa omnes romanam ecclesiam sciamus esse munificam, et apostolicam habere curam et semper matrem exsistere pietatis„...

[5] Ep. ad Claud. ducem.

regimen quo ipsi etiam praesules ecclesiarum continentur, apud episcopum esse romanum.

7. Romani episcopi principatus. Lotharius imperator.

106. Scilicet est romana sedes, de qua merito Lotharius imperator [1] edicit: „Sedem apostolicam, quae per beatissimum Apostolorum principem in universo orbe, quaquaversus religio christiana diffunditur, caput et fundamentum est sanctitatis, idcirco superna dispositio primatum obtinere voluit ecclesiarum, ut in quibuscunque causis, quaestionibus sive negotiis ecclesiastica suaderet necessitas, omnes quasi ad matrem religionis, fontemque recurrerent aequitatis.„ Quibus simul comprehenduntur ornamenta ac decora omnia, quibus romanam ecclesiam tamquam unitatis catholicae causam descripsimus: proponitur enim a) uti caput: b) uti fundamentum: c) uti fons: d) uti mater et propterea e) uti primatu insignis.

Augustinus.

His vero suum adjicit suffragium Augustinus quo doctore [2] apud romanae sedis praesulem auctoritas exsistit principatus; scribit enim de Caeciliano carthaginiensi: „Potuisse ipsum non curare multitudinem conspirantium contra se antistitum, cum se videret et romanae ecclesiae, in qua semper apostolicae cathedrae viguit principatus, et ceteris terris unde evangelium ad ipsam Africam venit, per communicatorias litteras esse conjunctum.„ Quibus nihil dici clarius potuit ad designandam sedem cathedramque romanam veluti centrum unitatis, ex quo radii fidei caritatisque in catholicum orbem continuo proficiscuntur: ad quod nisi velint extingui continuo redeant: et in quo *ἀνακεφαλαιώσει* universi colligantur oportet.

IV. *Necessitas communionis cum romanae ecclesiae episcopo.*

107. Sed haec in mentem revocant receptum vulgatumque apud antiquitatem axioma, tum, quae eidem respondebat, indeclinabilem illam ecclesiae *πρᾶξιν*, quibus quod modo significavimus in plenissima luce collocatur.

Nimirum VI. erat apud antiquos axiomatis instar, non aliam

[1] Ep. ad Leonem. IV. ap. Labbé. t. VIII. p. 33.

[2] Ep. XLIII. n. 7. Superioribus liturgia ipsa testis accedit: cf. allata iam ex sacram. rom. eccles. ap. Blanch. in Missa X. XIV.

exstare habendamque esse ecclesiam catholicam, quam quae cum romana sede communicet, eidemque veluti caritatis centro ac fidei fundamento innitatur atque insistat.

Id cum ex plerisque omnibus quae hucusque de romana unitate disputavimus haud aegre consequatur, nominatim vero iis contineatur quae priori capite explicavimus, est tamen ejusmodi, quod novis curis comprobari et facile possit et omnino mereatur. *Infertur.*

Non utar tamen abruptis nonnullis ac particularibus veterum testimoniis, sed amplissimo quodam argumentorum genere, quo nisi penitus fallar non minus valide quam splendide quod praestitutum est commonstretur. *Confirmatur.*

108. Atque hujusmodi rationis momentum illud inprimis est, quod ἡ μεθόδος seu via ac ratio suppeditat, qua usi majores nostri ab antiquissima aetate sunt, ad catholicam ecclesiam communionemque uti veram christianam vel ostendendam vel distinguendam. *Methodus probandi ecclesiam catholicam.*

1. Methodus Irenaei.

109. Ab antiquissimo Patre, episcopo lugdunensi [1], Irenaeo auspicabimur, ut illud ab originibus prope arcessitum videatur. Propositum itaque Irenaeo erat, patenti quadam ratione ostendere, gnosticorum commenta a Christi doctrina penitus esse aliena. Quod ut efficeret, in methodum inquirit decretoriam itidemque facilem et compendiosam, veritatis christianae ab haeretica quavis falsitate

[1] Quanti nobis esse Jrenaei auctoritas debeat, inde apparet, quod apud Euseb. H. E. l. V. c. 4. MM. Lugdunenses et Viennenses eum commendarint ζηλώτην ὄντα τῆς διαθήκης τοῦ Χριστοῦ, quodque commendatus propterea fuerit Eleutherio pontifici; quod a Tertulliano con. Valentin. c. 5. praedicetur „omnium doctrinarum copiosissimus explorator„ cujus opera sint „volumina instructissima„; quod scripta ejusdem Eusebio auctore H. E. l. II. c. 10. non solum ad cognoscenda sed etiam ad confutanda Simonis aliorumque haereticorum figmenta sint accommodatissima; quod Epiphanius H. XXIV. n. 8. eum mirabilem dicat atque beatum, Apostolorum successorem, disputatorem subtilem, H. XXXI. n. 33. repletum donis s. Spiritus, divitem sincerrissima fide et scientia exquisitissima; quod ejus opera ab Ephraemo syro tr. de virtut. c 8. dicantur splendida et magnifica; quod eum Aug. c. Julian. l I. cc. 3—7. efferat uti defensorem fidei catholicae, apostolicis temporibus supparem atque antiquum Dei hominem; quodque Theodoretus dial I. p. 33. eum describat velut φωστῆρα Γαλάτων τῶν ἑσπεριῶν.

secernendae. Hinc ita [1] progreditur: statuit ab initio I. propositionem historico-dogmaticam, eam scilicet solam doctrinam veram esse, quae in ecclesiis apostolicis ab episcopis serie non interpollata sibi succedentibus constanter praedicetur: „Traditionem itaque Apostolorum in toto mundo manifestatam, in omni ecclesia adest respicere omnibus qui vera velint videre: et habemus annumerare [2] eos, qui ab Apostolis instituti sunt episcopi in ecclesiis, qui nihil tale docuerunt neque cognoverunt, quale ab his deliratur. Etenim si recondita mysteria scissent Apostoli, quae seorsim et latenter ab reliquis perfectos docebant, his vel maxime traderent ea [3] quibus etiam ipsas ecclesias committebant. Valde enim perfectos et irreprehensibiles in omnibus eos volebant esse quos et successores relinquebant, suum ipsorum locum magisterii tradentes: quibus emendate agentibus fieret magna utilitas, lapsis autem magna calamitas.„

Traditio apostolica per successionem episcoporum.

Consensio omnium cum praedicatione romana.

110. Huic subdit II. propositionem historico-juridicam nimirum praedicationem apostolicarum ecclesiarum consentire debere cum praedicatione cathedrae apostolicae romanae, vi praerogativae eidem uni propriae.

Romana successio.

111. Hinc III. colligit facilem compendiosamque rationem ac viam sive methodum practicam cognoscendae veritatis, eamque in praedicatione unius illius ecclesiae reponit.

„Sed, pergit, quoniam valde longum est in hoc tali volumine omnium ecclesiarum enumerare successiones; maximae et antiquissimae et omnibus cognitae [4] a gloriosissimis duobus Apostolis Petro et Paulo Romae fundatae [5] et constitutae ecclesiae, eam quam habet ab Apostolis traditionem et annuntiatam hominibus fidem per successiones episcoporum pervenientem usque ad nos indicantes confundimus omnes eos, qui quoquo modo vel per sibi placentia, vel vanam gloriam [6] vel per caecitatem et malam sen-

---

[1] Con. haer. l. III. c. 3.

[2] En partem historicam, successionem episcoporum apostolicam abruptam non esse.

[3] His continetur pars dogmatica, episcopos positos ab Apostolis esse sibique jugiter succedere, ut veritatem Christi docerent ac doceant.

[4] En methodum patentem et brevem.

[5] En quae historica sunt.

[6] His indicantur haeresis et schismatis origines et causae.

tentiam praeterquam oportet colligunt. Ad hanc enim ecclesiam [1] propter potiorem principalitatem necesse est omnem convenire ecclesiam hoc est eos, qui sunt undique fideles, in qua semper ab his qui sunt undique conservata est [2] ea quae est ab Apostolis traditio.„

Quibus nihil ad id quod volumus desiderari praeclarius potest. Significat enim Irenaeus

1) tum factum universalis fidelium omnium cum romana ecclesia communionis;

2) tum ejusdem communionis necessitatem;

3) tum utriusque causam inde repetitam, quod ecclesia romana vi principatus sui [3] est instar centri in quo et per quod *Ecclesia principalis*

[1] Haec ad illud quod juris est et necessitatis spectant.

[2] Romana ergo fides uti centrum sistitur, in quo apostolica servatur fides quam iugiter qui sunt undique vere credentes tenent.

[3] Id enim significat „potior (al. potentior) principalitas„ κρείσσων ἀρχή, apud quam ἡ πρωτεία καὶ ἡ ἡγεμονία, propter quam necesse erat, ut cum romana ecclesia reliquae omnes convenirent. Vim ergo dictionis pervertunt qui cum Griesbach. ap. Lump. hist. theol. X. p. 766. potiorem principalitatem unice revocant ad apostolicam a Petro originem, tum qui cum Thiersch. ap. Stier. ed. Iren. adn. ad h. l. potiorem principalitatem in antiquitate valida collocant. Sane quaenam est ex loquendi more ecclesiasticorum vis principalitatis? Spectentur coniugata: itaque a) nomen adiectivum „principalis„ apud veteres ecclesiae scriptores tum id significat quod in se primum et originale est, tum quod aliis principium originemque praebet: ita vel ipse vetus Irenaei interpres l. V. c. 14. plasmationem hominis originalem ac primigeniam appellat principalem; Augustinus vero cum aliis latinis ideas quas graeci vocabant vel αἰτίας ἀρχικὰς vel λόγους ἀρχικοὺς sive δημιουργικοὺς nuncupat q. 46. e. qq. 83. rationes principales, a quibus quae sunt principium exsistendi habent (considerant enim ideas πρακτικῶς). b) Rursum nomen verbale „principari„ perinde utuntur veteres ac verbum „dominari„: ita Lactantius l. IV. c. 13. „principari in nationes„; ita Sidonius carm. IX. 47. Alexandrum canit „principibus principantem„; et Augustinus c. adversar. Leg. et Prophet. l. II. c. 6. „Sanguis in nostro corpore plus ceteris humoribus principatur.„ Hinc c) nomen substantivum „principatoris„ apud Arnobium in locos evangelistarum: „Principium Deus est qui principator esse omnium voluit. In hoc itaque Principe erat Verbum.„ Quid ergo d) nomen abstractum principalitas denotabit? Exprimet profecto illa duo, tum id quod originale et primigenium est, tum id a quo alia exordium principiumque sumunt. Huc faciunt illa Tertulliani de anima c. 13. „Ad hoc dispicere superest, principalitas ubi sit, idest, quid cui praeest, ut cuius principalitas apparuerit, illa sit substantiae massa.„ Et eiusdem haec de praescriptt. c. 31. „Revertar ad principalitatem veritati, et posteritatem mendacitati deputandam.„ Atque hoc utroque sensu ab Irenaeo principalitatem fuisse intellectam ipso evincitur hinc apposito, „potior vel potentior, quod graeco nomini κρείσσων respon-

fideles undique conspirant, quod romanae cathedrae doctrina est instar *παραδείγματος* veritatis apostolicae ab omnibus credendae, et

4) tandem horum omnium rationem in romanae ecclesiae praerogativis atque praestantia [1] collocat qua eadem prae omnibus excellit.

Argumenti vim fatetur Nectarius schismaticus.

112. Ceterum necessitatem unionis cum romana ecclesia in fide potissimum ex enarrato Irenaei textu palam deduci, fateri debuit Nectarius Hierosolymorum episcopus licet schismaticus [2], tametsi ad elevandam tanti Patris auctoritatem [3] id assentationis gratia dictum censeat.

---

dere aptius videtur: evincitur inde contextu: et evincitur veterum omnium de romanae ecclesiae dignitate eximiaque excellentia traditione atque diserta doctrina. Videsis superius hac de re dicta c. I. n. 5. adnot. 3. At vero ad totam phraseos vim potestatemque percipiendam nihil accommodatius, quam Aristotelis Metaph. l. V. c. 1. de „diversis modis„, quibus *ἀρχὴ* dicitur. Nimirum 1) *ἀρχὴ ἡ μὲν λέγεται, ὅθεν ἄντι τοῦ πράγματος κινηθείη πρῶτον*, principium unde proficiscitur motus: 2) *ἡ δὲ, ὅθεν γίνεται ἐνυπάρχοντος· οἷον ὡς πλοίου τρόπις καὶ οἰκίας θεμέλιος· καὶ τῶν ζώων οἱ μὲν καρδίαν, οἱ δὲ ἐγκέφαλον*, principium quod insitum congenitumque est movens, regens et dirigens, uti navis carina, domus fundamentum, viventium cor vel caput: 3) *ἡ δὲ ὅθεν γίνεται πρῶτον μὴ ἐνυπάρχοντος, καὶ ὅθεν πρῶτον ἡ κίνησις πέφυκεν*, principium quod non est insitum, a quo tamen motus pendet, ut proles ex patre et matre: 4) *ἡ δὲ οὗ κατὰ προαίρεσιν κινεῖται τὰ κινούμενα, καὶ μεταβάλλει τὰ μεταβάλλοντα, ὥσπερ αἵ τε κατὰ πόλεις ἀρχαὶ καὶ αἱ δυναστεῖαι καὶ αἱ βασιλεῖαι..* principium ad cuius nutum liberum alia moventur, quae moventur et mutantur, tale est civitatum principatus, regnum, dominium: 5) *ἔτι ὅθεν γνωστὸν τὸ πρᾶγμα πρῶτον, καὶ αὕτη λέγεται ἀρχὴ τοῦ πράγματος*, principium a quo cognitio rei pendet... Jamvero non uno vel altero, sed omnibus his modis est diciturque a Patribus romana ecclesia suusque antistes principium: ipse est a) motor supremus totius rei ecclesiasticae: b) ipse ecclesiasticae navis carina, ecclesiastici aedificii fundamentum, cor et centrum et caput totius christianae societatis: c) ipse pater fidelium Universorum: d) ipse claviger, qui regit, praeest, moderatur, iudicat, decernit ac dirimit: e) ipse est romanus episcopus et eius romana sedes, per quam vera Christi distinguitur et cognoscitur ecclesia Plenissimo ergo perfectissimoque sensu ecclesia romana ab Irenaeo potiorem habere principalitatem dici potuit dictaque fuit.

[1] Animadvertere est, necessitatem hanc unitatis fidei cum fide romanae ecclesiae non referri nude in puram et germanam veritatis traditionem, quae pura ac germana in aliis quoque apostolicis sedibus, puta in ephesina et smyrnensi, per id tempus poterat inveniri; sed in potentiorem illius principalitatem refertur, a qua subjective non possit abesse fides credenda, neque objective sejungi debeant fideles credentes.

[2] Si modo ejus sunt, quae photiana typographia Jassii edidit.

[3] Uti videre est in antirrhetico de principatus Papae demonst. 4. apud Papadopolum praenot. mystagog. respons. 6. §. 2. n. 5.

Salmasius quoque etsi protestantium sacris addictus [1] hoc Irenaei loco necessitatem unitatis in fide cum romanis Pontificibus affirmari existimavit, et s. Patris textum ita pressius exposuit: „Necesse est omnem ecclesiam convenire ad romanam, idest, ut graece locutus fuerat Irenaeus, *συμβαίνειν πρὸς τὴν τῶν ῥωμαίων ἐκκλησίαν*, quod significat convenire in rebus fidei et doctrinae cum romana ecclesia.„ Et subinde ab interprete graecizante dictum scribit, „ad hanc convenire ecclesiam„ pro „cum hac convenire ecclesia.„ *Item Salmasius protestans.*

Consentiunt vel ipsi Galli, uti colligitur qua ex cleri conventu Medoluni [2], qua ex Petro de Marca [3], et qua ex Nicolao Colbert archiepiscopo rothomagensi [4]. Quare Massuetus [5] laudata verba hoc commentario illustravit: „Unius ecclesiae romanae traditionem per continuam episcoporum successionem in ea conservatam consulere satis habuit Irenaeus, ut haereticos omnes confunderet, ratus jure merito, ea semel cognita illico aliarum omnium ecclesiarum traditionem, sententiam, atque doctrinam cognosci. Cum enim ecclesia romana omnium princeps, caput, et prima sit, omnium maxima et antiquissima, et maxime cognita, ab Apostolorum principe Petro ejusque socio Paulo fundata, quae ceteris omnibus pro suo jure praesit et dominetur, et cum qua omnes omnino fideles unius et ejusdem fidei et communionis vinculis colligari necesse sit; inde liquido patet aliam esse non posse aliarum ecclesiarum traditionem et fidem a fide et traditione romanae ecclesiae. Praetermissis itaque totius orbis ecclesiarum episcoporum catalogis, illius unius continuam successionem recensere, ac quae per hanc veluti canalem manavit usque ad nos traditionem Apostolorum declarare satis est, ut ex communi omnium ecclesiarum, quae cum romana consentire [6] debent, sententia et traditione devincantur omnes haeretici.„ *Fatentur galli-cani*

---

[1] In libro de primatu Papae cap. 5.

[2] Habito an. 1579.

[3] Lib. 1. concordiae. cap. II. n. 6.

[4] In instruct. pastorali ad parochos suae dioecesis data die 5. Julii an. 1699.

[5] Editor gallus opp. Irenaei diss. 3. art. 4.

[6] Mirum videri debet, reperiri quempiam potuisse, qui verbum *convenire* accipiendum scripserit de eo concursu, quo e toto romano imperio Romam variis de causis tamquam ad imperii caput quam plurimi confluebant. Quid enim hoc ad rem, de qua Irenaeus ibidem agit? num ex romanae ecclesiae

2. Methodus Tertulliani.

113. Sequitur Tertullianus, scriptor [1] nullatenus spernendus, qui post reportatam palmam ex suis cum Praxea, Hermogene, Valentino, Marcione aliisque disputationibus operae pretium duxit, modum stabilire neque arduum neque obscurum quo uno haeritici omnes revincerentur. Atque id praestitit insigni de praescriptionibus opusculo.

114. Quam porro normam veracem quamque methodum sinceram omnibusque planam ad distinguendam veritatem christianam ab erroribus fallaciisque [2] haereticorum proponit? Excludit I. methodum examinis per Scripturas, et quidem ob has omnino rationes: 1) quia tale examen nullas parit [3] utilitates: „Scripturas obtendunt, et hac sua audacia statim quosdam movent: in ipso vero congressu firmos quidem fatigant, infirmos capiunt, medios cum scrupulo [4] dimittunt.„

Excludit Scripturarum examen.

2) Quia illud [5] plus semel perniciosum periculisque plenum est: „Deinde quoniam nihil proficiat congressio Scripturarum, nisi plane aut stomachi quis ineat eversionem aut cerebri... Quid promovebis, exercitatissime Scripturarum, quum si quid defenderis negatur: ex diverso si quid negaveris, defendatur? et tu

---

fide ac traditione haereticos confundi eo argumento evincitur, quod omnes ex universis romanis provinciis in urbem concurrere necesse est? ridiculum et ineptum id fuisset. At si de necessitate conveniendi in fide cum romana ecclesia vocabulum illud usurpetur, ut et praemissa et sequentia contextus verba ad fidem pertinent, argumentatio legitima est, optimeque omnia cohaerent. Confer, si libet, laudatum Irenaei editorem p. Massuetum in praefat. art. 4. n. 32. ubi hanc distortam interpretationem pluribus explodit.

[1] Ex Eusebio in chron. celebris in omnibus ecclesiis, ex Lactantio peritus in omni litteratura, ex Rufino nobilissimus inter scriptores christianos, ex Hieronymo eruditissimus et acutissimus, ex Cypriano dignus magistri nomine, a Vincenzio lirinensi singulari laudum encomio cohonestatus: de quibus vide Christ. Lupum opp. tom. IX. p. 6. edit. Venet. 1727. — Quae ergo a Tertulliano dicuntur illis nominibus etiam titulisque fidem merentur. Sed propterea quoque fidem merentur, quod quam proponit fuerit methodus antiquissimorum omnium, uti ab Irenaeo superius accepimus pariterque ex iis elucet, quae Euseb. H. E. l. IV. c. 22. de Hegesippo refert: frequentatas nimirum ab illo ecclesias fuisse, quas fundarant Apostoli, ut ab iisdem apostolicam doceretur doctrinam.

[2] Has exponit mirifice cc. I. sqq.

[3] C. XV. de quibus cf. Coton. op. cui titul. Genèv. plagiaire. p. 1494.

[4] Fructus antiqui recentesque examinis Bibliorum privati.

[5] CC. XVI. XVII.

quidem nihil perdes nisi vocem in contentione, nihil consequeris, nisi bilem de blasphematione... Ergo [1] non ad Scripturas provocandum est.„

3) Quia idem examen e Scripturis institutum est [2] contra rerum naturam atque ordinem: „Ordo rerum desiderabat illud prius proponi, quod nunc solum disputandum est: quibus competat fides ipsa? cujus sint Scripturae? a quo et per quos et quando et quibus sit tradita disciplina, qua fiunt christiani„? Tum

Exigit examen factorum.

II. colligit, rei naturam ac ordinem [3] exigere, ut quemadmodum christiana religio positivae institutionis est, adeoque ad factorum ordinem spectat, ita indagetur factum illud, cui Christus reapse suam commiserit doctrinam, quique ejusdem cum Scripturis sint legitimi possessores: „Ubi enim apparuerit esse veritatem et disciplinae et fidei christianae, illic erit veritas Scripturarum et expositionum, et omnium traditionum christianarum.„ Instituta porro accurata indagine

Revocat rem ad ecclesias apostolicas.

III. statuit [4], distinctis tribus prope gradibus a Christo creditum fidei depositum Apostolis, ab Apostolis idem rursum fuisse creditum fundatis a se ecclesiis, et per illas et ab illis propagatum idipsum vicissim ad alias ecclesias fuisse: „Christus Jesus Dominus noster... quamdiu in terris agebat, ipse pronuntiabat sive populo palam, sive discentibus (discipulis) seorsum: ex quibus duodecim praecipuos lateri suo adlegerat, destinatos nationibus magistros... Statim igitur Apostoli... primo per Judaeam contestata fide in Jesum Christum et ecclesiis institutis, dehinc in orbem profecti eamdem doctrinam ejusdem fidei nationibus promulgaverunt et proinde ecclesias apud unamquamque civitatem condiderunt, a quibus traducem fidei et semina doctrinae caeterae exinde ecclesiae mutuatae sunt, et quotidie mutuantur ut ecclesiae fiant: ac per hoc et ipsae apostolicae deputantur ut soboles apostolicarum ecclesiarum.„ Verum

Consensio cum ecclesiis apostolicis.

IV. inde jure infert necessitatem consensionis communionisque ecclesiarum secundo genitarum cum ecclesiis apostolicis:

---

[1] C. XIX.
[2] Ibidem.
[3] Ibidem.
[4] C. XX.

„Omne genus ad originem suam recenseatur necesse est. Itaque tot ac tantae ecclesiae una est illa ab Apostolis prima ex qua omnes. Sic omnes primae et apostolicae, dum una omnes probant unitatem: dum est illis communicatio pacis et appellatio fraternitatis et contesseratio hospitalitatis. Quae jura non alia ratio regit, quam ejusdem sacramenti una traditio.„

Praescriptio contra haereticos.

Inde autem V. sponte fluit et a Tertulliano deducitur [1] norma ac regula praescriptionis contra haereticos: „Hinc igitur dirigimus praescriptionem, si Dominus Jesus Christus Apostolos misit ad praedicandum, alios non esse recipiendos praedicatores quam quos [2] Christus instituit. Quid autem praedicaverint, idest, quid illis Christus revelaverit, et hic praescribam non aliter probari debere, nisi per easdem ecclesias, quas ipsi Apostoli condiderunt, ipsi eis praedicando tam viva quod ajunt voce, quam per epistolas postea.„ Quare ad doctrinae veritatem vel falsitatem quod attinet

Veritatis tessera.

VI. concludit: „Si haec ita sint, constat proinde omnem doctrinam quae cum illis ecclesiis apostolicis, matricibus et originalibus fidei conspirat veritati deputandam, sine dubio tenentem quod ecclesiae ab Apostolis, Apostoli a Christo, Christus a Deo accepit: omnem vero doctrinam de mendacio praejudicandam, quae sapiat contra veritatem ecclesiarum et Apostolorum et Christi et Dei.„ Atque hinc

VII. tessera orthodoxorum: „Communicamus cum ecclesiis apostolicis, quod nulla doctrina diversa. Hoc est testimonium veritatis.„

Romanae prae aliis ecclesiis apostolicis praerogativa

115. Jamvero nulla esse potest conveniendi cum apostolicis ecclesiis necessitas, quae longe potior non sit conspirandi cum ecclesia romana, ob cujus potentiorem principalitatem fit, ut illi vel ipsae ecclesiae originales atque matrices cohaerere plane debeant.

Quod ergo a Tertulliano usurpatur principium hujusmodi est, quo necessitas communionis unitatisque cum romana ecclesia suadeatur non tantum, verum etiam persuadeatur. At vero non

---

[1] C. XXI.

[2] Sunt vero Apostoli primo gradu et ordine, episcopi ab illis vicissim jure divino instituti gradu ordineque altero.

praetermisit Tertullianus hanc quam argumentando deduximus consequutionem expressis verbis asserere. Etenim ostenso facto historico continuationis [1] plurium adhucdum ecclesiarum apostolicarum unam prae omnibus singulari laudum encomio extollit: „Romam, unde nobis quoque, inquit, auctoritas praesto est. Ista quam felix [2] ecclesia! cui totam doctrinam Apostoli cum sanguine suo profuderunt. Ubi Petrus passioni dominicae adaequatur. Ubi Paulus Joannis (Baptistae) exitu coronatur. Ubi Apostolus Joannes posteaquam in oleum igneum demersus nihil passus est, in insulam relegatur. Videamus quid didicerit, quid docuerit, quid cum africanis ecclesiis contesserarit.„ Prope diceret: „Communicamus cum ecclesia romana, quod nulla doctrina diversa: hoc est testimonium veritatis.„ Scilicet romanae ecclesiae fides est norma et regula fidei universalis, et quemadmodum cum eadem conspirare est certum tutumque orthodoxiae argumentum, ita ab illa dissonare est manifestum erroris indicium.

116. Ab hac porro trutina, qua Tertullianum adeo feliciter usum deprehendimus, insequentes aetates nullatenus recessisse docent apud Syros Ephraem [3], apud Armenios Isaac illorum patriarcha [4], apud Graecos Basilius [5], cum quibus apud Latinos Augustinus [6] omnino cohaeret, omnes in eo concordes, apud illas

Ephraem syrus.
Isaac armenus.
Basilius.

---

[1] C. XXXII. XXXVI.

[2] „Per romanae ecclesiae felicitatem, scribit in scholiis ad h. c. Lupus, doctor omnino intelligit ejus supremum ac universalem primatum. Hinc et in libro de pudicitia licet ad Montanum delapsus fatetur ac profitetur ejus episcopum esse episcopum episcoporum: hunc titulum esse illi famosum et familiarem. Quod Asia et Phrygia suas de dogmate quaestiones ad ipsum retulerint, ac ipse in istas ecclesias plenam exercuerit potestatem, demonstrat in libro adversus Praxeam. Quod ipsis inferret pacis adeoque et discidii seu excommunicationis litteras, et ipsas per sua dogmatica definitionum decreta compelleret ab hoc aut isto dogmate concessare.„ Quae contra eiusdem testimonii vim in suis notis tertullianicis congessit Junius, ea castigavit Gretserus in animadversionib. ad not. iunian. c. 9.

[3] Apud Asseman. biblioth. or. tom. I. p. 129.

[4] Invectiva II. adv. suos.

[5] In c. II. Is. tom. I. Cujus testimonium vel ipsa theodosiana legislatio confirmat. Nam l. XVI. tit. I. capite de summa Trinitate id tenendum praecipitur, quod ut supremam credendi normam constiterit a catholica romana et alexandrina ecclesia doceri. De his vero deque objectis difficultatibus conferantur fratres Ballerinii de vi ac ratione rom. pontif.

[6] Ep. 161. ad Honoratum donat. con. Faust. l. XXVIII. 2., et de doct. christ. II. 8., ubi inter catholicas ecclesias primum locum eumque necessarium

ecclesias tutissime quaeri veritatem fidei, quae ab ipsis Apostolis institutae continuata antistitum serie gubernantur, et in unitate fidei caritatisque cum aliis apostolicis pariter ecclesiis conservantur.

Augustinus. 117. Praeterea ratum iisdem fuit, servari non posse catholicam unitatem citra communionem cum ecclesiis apostolicis. Ita Augustinus [1]: „Si autem tu a me quaeras, quibus fructibus vos potius esse lupos rapaces cognoscamus, objicio schismatis crimen: ego autem statim probabo; neque enim communicas omnibus gentibus et illis ecclesiis apostolico labore fundatis.„ Hic dicturus es, „non communico traditoribus et homicidis: respondet tibi semen Abrahae, haec sunt illa crimina vel non vera vel non mea. Sed haec interim sepono; tu ostende ecclesiam.„ Similia scribit ad Honoratum [2]: recensitis enim ecclesiis ab Apostolis per orbem fundatis subdit: „Quibus omnibus ecclesiis nos hodie communicare manifestum est, sicut manifestum est, vos istis ecclesiis non communicare.„ Ideoque colligit, donatianos non esse in ecclesia catholica.

Pelagius I. 118. Ad quae respiciens Pelagius I. [3] haec commemoratione dignissima scripsit: „Beatissimus Augustinus dominicae sententiae memor fundamentum ecclesiae in apostolicis sedibus collocavit. In schismate esse dicit, quicunque se a praesulis earumdem sedium auctoritate vel communione suspenderit. Nec aliam manifestat esse ecclesiam, nisi quae in pontificalibus apostolicarum sedium est solidata radicibus.„ Quibus gemina repetit [4] in litteris datis ad Viatorem et Pancratium: „Sicut b. Augustinus dicit, omnis catholicus securus eam partem detestatur, cui ecclesiam universalem apostolicis sedibus roboratam non communicare cognoscit.„

Pelagius II. 119. A qua insigni Pelagii primi non debet avelli alterius Pelagii

---

illis concedendum affirmat, quae apostolicae sedes sunt et epistolas (de quarum origine agebatur) ab Apostolis habere meruerunt. Eodem spectant Agobard. lugdun. de eccles. et polit regim. comparat. atque Fulgent. de Trinit. ad Felic. nolan. c. 1.

[1] Con. litt. Petit. l. II. c. 16.

[2] Ep. 49. al. 161. ad Honorat. donat.

[3] In litteris ad Tusciae episcopos.

[4] Ep. ad illustres viros Viator. et Pancrat.

sententia [1]: „B. Augustinus in his, ait, Dei ecclesiam esse constitutam, qui sedibus apostolicis per successionem praesulum praesidere noscuntur.„ Jamvero fieri nequit, ut absolute necessarium sit, cum ecclesiis communicare quae a veritate divinae traditionis potuerint discedere; ratum ergo majoribus fuit, inter ea, quae juxta divinam oeconomiam fieri nequeunt, id esse connumerandum, ut omnes ecclesiae apostolicae una deficiant a veritate divinae traditionis. Concors ergo illorum suffragium haberi debet ut argumentum et signum ad veritatem sine erroris periculo cognoscendam.

Sola ecclesia romana superstes apostolica.

120. At enimvero redit institutum superius de Tertulliani methodo argumentum, immo vero argumentum multo illustrius ex hac eadem veterum methodo licet [2] eruere. Scilicet is est ex Patribus cum Tertulliano sincerus veritatis christianae character, ut sit apostolica. Is autem nascitur ex doctrinae conspiratione cum praedicatione ecclesiarum apostolicarum originalium et matricium, in quibus cum apostolicae praedicationis conservatione [3] interpellata numquam fuit apostolicorum successorum series. Verum in praesentia non exsistit alia amplius apostolica ejusmodi ecclesia originalis et matrix praeter ecclesiam romanam. Ergo apostolica haberi nequit doctrina quae non consonat cum romanae cathedrae praedicatione: neque christiana veritas est quidquid ab eadem romana praedicatione dissonat.

Concilium VIII.

121. Sed opus non est nostra illatione; praevertit enim illam sapiens ac docta antiquitas. Ad rem vix quidpiam dici opportunius posse videtur, quam quod in Concilio VIII. graviter perorans [4] Bahanes magnificentissimus patricius et praepositus dixit (ad iconomachos): „Imperator noster sanctus non vos adduxit ad hanc sanctam et universalem synodum ad disputandum, sed ad commonendum... Nam utique nostis, quia Paulus [5] Christi os liquido monet, omnem haereticum ab una et secunda admonitione devitare: tu (Theodorus sclc. inconoclasta) autem senescens in

[1] Ep. ad Eliam aquilei. episc.

[2] Eruit reapse Bolgenius opusc. inscripto: Il critico corretto, nn. 52 sq.

[3] Ut tam formaliter ut ajunt quam materialiter apostolica ecclesia perseveret. Cf. ib. cc. XX. XXXII. sqq.

[4] Act. VIII. ap. Hard. t. V. p. 880.

[5] II Tim. III. 5. Quodsi Paulus est os Christi, profecto verbum ejus verbum apostolico-divinum est.

malitia tua et sciens in omni certitudine [1] tenebras in quibus es, in lumine ignis tui [2] ambulabis, audiens ex quadrifido terrarum orbe, justo decreto sacrorum canonum, anathematis damnationem: quo enim fugies? vel quo ibis? Posuit Deus ecclesiam suam in quinque patriarchiis: et definivit in evangeliis suis, ut numquam aliquando penitus decidant, eo quod capita ecclesiae sint. Etenim illud quod dicitur: Et portae inferi non praevalebunt [3] adversus eam, hoc denuntiat: quando duo ceciderint, currunt ad tria; quum tria ceciderint, currunt ad duo, quum vero quatuor forte [4] ceciderint, unum quod permanet in omnium capite Christo Deo nostro, revocat iterum reliquum corpus ecclesiae. Nunc autem toto terrarum orbe concordante, non habes excusationis modum, quemadmodum olim factum est... Reversis vero magnificentissimis judicibus lectae sunt voces Theodori, qui dicitur Crithinus, in audientia synodi voce majori; et dixerunt sanctissimi vicarii senioris Romae et orientalium sedium: Legatur sanctissimi Nicolai papae capitulum de imaginibus. Et accipiens Stephanus Deo amabilis diaconus et notarius legit.„

E quibus intelligitur, in oriente pariter ac in occidente receptum pervulgatumque fuisse: 1) in apostolicis sedibus reliquarum prope centris e quibus ad alios lumen emanavit, sincerae fidei locatum fuisse praesidium; 2) praesidium hoc invictum esse atque perpetuum; ita tamen ut 3) utrumque referendum necessario non sit sive ad omnes et singulas illas distributive Apostolorum sedes, sive ad eas omnes collective, sed ad singularem quandam eamque unam et solam, ad quam inprimis spectant verba Domini: „Tu es Petrus et super hanc petram aedificabo ecclesiam meam. Et portae inferi non praevalebunt adversus eam.„

Judicium critcum.

122. Unde assequimur quod sponte ex allatis descendit: 1) romanam ecclesiam inter apostolicas veluti principalem omniumque caput [5] distingui; adeo ut 2) cum ea maxime [6] necesse

---

[1] His describitur pertinacia haeretici atque adeo ratio formalis haereseos.

[2] Is. L. 11.

[3] Matth. XVI. 18.

[4] Quod facta tantum hypothesi atque conjectura dumtaxat aliqua admisit Bahanes, id non longe post conversum deprehendimus in thesim atque consummati facti veritatem.

[5] Cf. Car. Pass. de praerog. s. Pet. l. I. c. XXVI. nn. 368 sqq.

[6] Cf. rursum eumdem ibid. l. I. c. XXV. nn. 350 sqq.

sit convenire ad hoc, ut formalis ratio ecclesiae apostolicae custodiatur; ad quam unam propterea 3) quoties fiat ad apostolicas appellatio, licet aliae varientur constanter provocetur: et ita quidem 4) ut dum ad apostolicas appelletur, illa vel una nominetur vel sola [1] intelligatur. Sed his tandem 5) rationem quoque assequimur, qua exposita laudataque superius antiquissimorum Patrum methodus, veritatis falsitatisque tesseram in negotio religioso ex una romana ecclesia petendi, non arbitraria est neque historica tantum et facti, sed est juris atque necessitatis.

3. Methodus Cypriani.

123. Enimvero erat illa in ecclesia Dei pervulgata semper ac constans, nec non insignis aestimabatur ob brevitatem aeque ac securitatem. Sane post Irenaeum et Tertullianum Cyprianus [2], ubi de ecclesia Christi dignoscenda disseruit, aliam breviorem securioremque non habebat quam proponeret. Eius disputatio haec est. Explicat I. artes antiqui serpentis, qui „videns idola derelicta et per nimium credentium populum sedes suas ac templa deserta, excogitavit novam fraudem ut sub ipso christiani nominis titulo falleret incautos: haereses invenit ac schismata, quibus subverteret fidem, veritatem corrumperet, scinderet unitatem: quos detinere non potest in viae veteris caecitate, circumscribit et decipit novi itineris errore: rapit de ipsa ecclesia homines, et dum sibi appropinquasse jam lumini atque evasisse saeculi noctem videatur, alias nescientibus tenebras rursus infundit, ut cum evangelio Christi et cum observatione ejus et lege non stantes christianos se vocent, et ambulantes in tenebris habere se lumen existiment, blandiente adversario atque fallente, qui secundum Apostoli vocem [3] transfigurat se velut angelum lucis, et ministros [4] suos subornat velut ministros justitiae asserentes noctem pro die, interitum pro salute, desperationem sub obtentu spei, perfidiam sub praetextu fidei, antichristum sub vocabulo Christi, ut dum verisimilia mentiuntur, veritatem subtilitate frustrentur. Declarat

Diaboli fraudes.

[1] Ex quo patet, eorum quae de apostolicarum ecclesiarum praesidio superius diximus, sufficientem, supremam plenamque rationem ex praesenti ecclesiae romanae praesidio peti oportere.

[2] De unit. eccles.

[3] II. Cor. XI.

[4] Utinam haec eadem nostris non deberemus usurpare sensibus!

Origo mali. II. veram tanti mali originem: „Hoc eo fit fratres dilectissimi, dum ad veritatis originem non reditur, nec caput quaeritur, nec magistri coelestis doctrina servatur.„ Verum

Remedium facile. III. quum de Christi veritate atque doctrina apprime oriantur plus semel dissidia, genuinam illius distinguendae regulam atque criterium decretorium promit: „Quae si quis consideret et examinet tractatu longo atque argumentis opus non est. Probatio est ad fidem facilis compendio veritatis.„ Sed enimvero

Cathedra romana. IV. quaenam est tam evidens simul ac brevis compendio veritatis probatio? Non alia quam quae ex romana petitur cathedra: „Loquitur [1] Dominus ad Petrum, Ego dico tibi, inquit, quia tu es Petrus et super hanc petram aedificabo ecclesiam meam, et portae inferorum non vincent eam. Et tibi dabo claves regni coelorum; et quae ligaveris super terram, erunt ligata et in coelis; et quaecunque solveris super terram, erunt soluta et in coelis. Et iterum post resurrectionem suam [2] dicit: Pasce oves meas. Super illum unum aedificat ecclesiam suam, et illi pascendas mandat oves suas. Et quamvis Apostolis omnibus post resurrectionem suam parem potestatem [3] tribuat et dicat: Sicut misit me Pater et ego mitto vos, accipite Spiritum sanctum, si cujus remiseritis peccata, remittuntur illi, si cujus tenueritis, tenebuntur, tamen ut unitatem manifestaret, unitatis ejusdem originem ab uno incipientem sua auctoritate disposuit.„

Summa. 124. Quibus profecto non minus divinam primatus romanae ecclesiae institutionem, quam finem, praerogativam atque jura significat, quae non alio spectant, quam ut 1) pastores omnes cum gregibus suis ab uno supremo pastore, qui est Petri successor romanaeque ecclesiae praesul, non secus ac domus a fundamento in unitate contineantur: ut 2) omnibus praesto sit certa ac facilis credendorum regula ac norma: proindeque 3) ut latere neminem obortis dissidiis possit, ubi Christus ejusque doctrina, et ubi hostis Dei hominumque fraudes instruens venenumque propinans: illa est in unitate [4] romana a qua mortiferum proinde recedere: „Hanc

[1] Matth. XVI.
[2] Joh. XXI.
[3] Joh. XX.
[4] Ib.

unitatem qui non tenet, Dei legem non tenet, non tenet Patris et Filii fidem, et veritatem non tenet ad salutem.„

4. Methodus Optati milevitani.

125. Verum ab hac Irenaei, Tertulliani, Cypriani methodo ne lato quidem ungue discessere Patres saeculi IV. qui in controversia cum schismaticis donatistis, ad veram ecclesiam omnibus perspicue patefaciendam cum [1] milevitano Optato I. hanc ineundam viam [2] censuerunt: „Quae res ut clara et manifesta esse omnibus possit, ostendendum est, ex qua radice sese usque in hodiernum, erroris protenderint rami, et ex quo fonte rivulus iste maligni liquoris occulte serpens usque in tempora nostra manavit. Dicendum est, unde et ubi et a quibus ortum constat hoc alterum malum; quae convenerint causae; quae fuerint operatae personae; qui auctores hujus mali; qui nutritores; a quibus sint inter partes ab imperatore postulata judicia; qui sederint judices; ubi sit actum concilium; quae sint prolatae sententiae. De divisione agitur: et in Africa [3] sicut et in ceteris provinciis, una erat ecclesia, antequam divideretur ab ordinatoribus Majorini cujus tu hereditariam cathedram sedes. Videndum est, quis in radice cum toto orbe manserit; quis foras exierit; quis cathedram sederit alteram, quae ante non fuerat; quis contra altare altare erexerit; quis ordinationem fecerit salvo altero ordinato; quis jaceat sub sententia Joannis Apostoli, qui dixit [4], multos antichristos foras exituros, quia non erant, inquit, nostri; nam si nostri essent, mansissent nobiscum. Ergo qui in unum cum fratribus manere noluit, haereticos secutus quasi antichristus foras exivit.„ *Examen factorum.*

126. Est ergo cathedra quaedam radix ex qua universalis unio et communio pendet, eademque est tessera veritatis a falsitate discriminandae. Sed quaenam est cathedra illa radix? *Quaerenda cathedra radix.*

[1] Vir est inter scriptores ecclesiasticos celeberrimus auctore Hieronymo (de vir. illust. c. 121.), ab Augustino (de doct. christ. l. II. c. 40. 4. 61.) cum s. Cypriano collatus decoratusque (con. ep. Parmen. l. I. c. 13. n. 5.) titulo episcopi catholicae communionis memoriae, a Fulgentio (ad Monim. l. II. c. 13.) vocatus sanctus.

[2] De schism. donat. l. I. n. 15.

[3] Sed quae dicuntur, profecto de omni omnium aetatum terrarumque sive haeretica sive schismatica ab ecclesia divisione valent.

[4] I. Joh. II. 19.

Petri cathedra episcopalis in urbe Roma.

Eam excluso quovis dubio II. Milevitanus antistes [1] indicat his verbis: „Igitur negare non potes, scire te in urbe Roma Petro primo cathedram episcopalem esse collatam, in qua sederit omnium Apostolorum caput Petrus; unde et Cephas [2] appellatus est: in qua una cathedra unitas ab omnibus servaretur: nec ceteri Apostoli singulas sibi quisque defenderent; uti jam schismaticus et peccator esset, qui contra singularem cathedram alteram collocaret.„ Ut porro apostolicae hujus principalis necessariaeque ecclesiae non modo probaret origines sed durationem quoque continuam, ne umquam fidei amussis unitatisque centrum deesse existimetur

Petri in romana cathedra successores.

III. catalogum conficit [3] episcoporum in cathedra romana Petro succedentium: „Ergo cathedram unicam quae est prima de dotibus, sedit prior Petrus, cui successit Linus, Lino successit Clemens... Damaso Siricius, hodie qui noster est socius: cum quo nobiscum totus orbis commercio formatarum [4] in una communionis societate concordat. Vestrae cathedrae vos originem reddite, qui vobis vultis sanctam ecclesiam vindicare.„ Illatio patet, patet et illud, universam oeconomiam ecclesiasticam ad unum revocari supremum verticem [5] atque fastigium ad summum unitatis principium quod Christus repositum in Petro ejusque successoribus apud solam romanam ecclesiam voluit.

127. Sed quum in medium afferri alii [6] possent qui vetustam

---

[1] L. c. l. II. nn. 2 sqq.

[2] Videtur Optatus ad eamdem radicem referre nomina Cephas et caput, (κεφαλή): quod licet in dubium adduceretur, inde tamen neque rei quam milevitanus defendit neque argumento quo utitur quidpiam valoris detraheretur. Quum enim res esset vel ipsis donatistis certissima, Petrum fuisse Apostolorum caput, eo quod Cephas erat, valide Optatus inde argumentum confecit.

[3] Ibid.

[4] De quibus dicemus postea.

[5] Ad unum supremum fastigium episcoporum in ecclesia regimen revocari insigni dissertatione ostendit Fr. Leop. com. de Stolberg append. adiecta tom. X. hist. rel. J. C. pp. 480 sqq.

[6] Afferri possent ex occidentalibus Pacianus antistes barcinon. ep. 3. Eusebius vercellens. auctore Liberio pont. in ep. ad illum data. Prudentius hym. in s. Hippol. Ex orientalibus vero ipse Firmilianus ep. 75. inter Cyprian., ubi manifesto significat, sibi non minus ac Stephano romanae urbis episcopo fuisse ad instar explorati principii, Petrum illum esse, cui nisi in successoribus jungaris, frustra tibi ad corpus ecclesiae pertinere polli-

regulam quae nos modo sollicitos habet suo suffragio firmarunt, piaculum foret, silentio praetermittere triumviros prae ceteris conspicuos: Ambrosium, inquam, Hieronymum atque Augustinum, qui nec ipsi a designata antiquitus linea recesserunt.

5. Methodus Ambrosii.

128. Et Ambrosio quidem quid visum sit satis I. iis aperit quae refert [1] de fratre Satyro. Videlicet quum is tempestatis aestu in ignotam dejectus plagam anceps haereret, an ibidem vera Christi fides retineretur; non alia dubitationis propellendae ipsius menti ratio occurrit, quam ab illius loci episcopo percontari, num cum romana ecclesia conveniret. „Advocavit ad se episcopum, nec ullam veram putavit nisi verae fidei gratiam, percontatusque ex eo est, utrum cum episcopis catholicis, hoc est, cum romana sede conveniret.„ *Verae fidei episcopus quaeratur.*

Ergo 1) vir sanctus existimavit, communionem in fide cum romana sede characterem esse certissimum, quo fidei integritas cognosceretur. Itemque 2) existimavit haec duo sibi invicem aequipollere: communionis nexibus cum catholicis episcopis, vel cum romana [2] sede copulari. Quare 3) si praeter omnem disputationis aleam posita est omnimoda conveniendi in fide necessitas cum orthodoxis episcopis; aeque indubium esse debet, plane oportere ut qui catholici nomine gloriantur, iidem in profitenda fide cum romanis pontificibus concordent. *Conveniendum cum sede romana.*

129. Idipsum II. aperit, quum ita Christum ecclesiam suam ordinasse affirmat [3], ut ab ejus sinu excluderetur quisquis in fide Petro non adhaereret. „Ipse est Petrus cui dixit Christus: tu es Petrus et super hanc petram aedificabo ecclesiam meam. Ubi ergo Petrus, ibi ecclesia.„ Ergo nisi Petri ejusque successorum communio retineatur, ipsa quoque catholicae ecclesiae communio necessario [4] deperditur. *Ubi Petrus ibi ecclesia.*

cearis. Cf. Du Perron réplique à la réponse du roi de la Grande-Bretagne cb. LXXVI. pp. 511 sqq. Paris. 1633.

[1] Ser. de obit. fr. Sat. l. I. n. 47.

[2] Vide sis quae c. I. disputata praestituimus.

[3] De sacram. l. III. c. 7.

[4] Opus autem est, ut quae cum Petro ejusque successoribus unitas custodiri debet, ad fidem quoque et potissimum quidem referatur. Etenim

Necessaria Petri fides ad salutem.

Idem praeterea III. aperit [1] scribens: „Non habent enim Petri hereditatem, qui Petri fidem non habent, quam impia divisione discerpunt.„ Prope diceret, frustra sibi de assequenda beatitate illos blandiri, qui aliam a Petro fidem profitentur. Cujus sententiae tanta vis est ad commendandam necessitatem conveniendi in fide cum Petro, ut aliquid eum in finem efficacius exquirere, hominis esse sui impotis videatur.

In omnibus sequere romanam ecclesiam.

Quare tandem IV. idem Ambrosius cujus menti id alte insedit, universe [2] aperit, pronuntians: „In omnibus cupio sequi ecclesiam romanam.„

6. Methodus Hieronymi.

Compendiosa veritatis norma.

130. Accedit altero loco Hieronymus, de cujus mente dubitare nullus potest qui I. supremam ejusdem adversus Luciferianos conclusionem ob oculos habuerit. Ita vero suam disputationem absolvit: „Poteram diem istiusmodi eloquio ducere, et omnes propositionum rivulos uno ecclesiae sole siccare. Verum quia jam multum sermocinati sumus, et prolixitas concertationis audientium studia lassavit, brevem tibi apertamque animi mei sententiam proferam, in illa ecclesia permanendum, quae ab Apostolis fundata usque ad diem hanc durat. Sicubi audieris eos qui dicuntur Christi, non a Domino Jesu Christo, sed a quoquam alio nuncupari, ut puta Mar-

a) ea recolentibus quae superius in medium protulimus liquet, auctore Ambrosio Petrum non exstitisse ecclesiae fundamentum nisi per fidem, quam Christus ecclesiae aedificandae fundamentum jecit. Ergo axioma illud „ubi ergo Petrus, ibi ecclesia„ huic aequipollet, „ubi ergo fides Petri, ibi ecclesia.„ Atqui ex hujusmodi effato necessaria consequutione descendit, relinqui Petri fidem non posse, quin turpi divortio ipsa ecclesia derelinquatur; ergo quam inculcat Ambrosius retinendam cum Petro communionem, ne ab ecclesiae sinu excidamus, illa maxime fidei unitatem spectat. Quod b) verbis minime ambiguis ipsemet Ambrosius expressit lib. 1. de poenit. cap. 7.

[1] De poenit. l. I. c. 7.

[2] De Sacr. l. III. c. 7. Novimus non deesse qui negent, auctorem librorum de sacramentis fuisse Ambrosium. At praeterquam quod vetustissimi codices Ambrosii nomen prae se ferant, gravissimaque suppetant momenta rationum, quibus hoc opus Ambrosio asseratur; quam ex iis decerpsimus sententiam Ambrosio vindicant Petrus Damianus in epistola ad Hildebrandum et Arnulphus historicus mediolanensis saec. XI. lib. 3. hist. mediolan. cap. 15. Quod si libros de sacramentis Ambrosio surripiendos existimes, fatearis tamen necesse est, pervetustum esse illorum auctorem, qui Ambrosii vestigiis insistens in rem praesentem antiquae traditionis novus testis accedit.

cionitas, Valentinianos, Montenses sive Campitas: scito non ecclesiam Christi, sed antichristi esse synagogam. Ex hoc enim ipso quod postea instituti sunt, eos se esse indicant, quos futuros Apostolus praenuntiavit. Nec sibi blandiantur, si de Scripturarum capitulis videntur sibi affirmare quod dicunt, quum et diabolus de Scripturis aliqua sit locutus, et Scripturae non in legendo consistant, sed in intelligendo. Alioquin si litteram sequimur, possumus et nos quoque novum nobis dogma componere, ut asseramus in ecclesiam non recipiendos, qui calceati sint et duas tunicas habeant.„

Ea non est Scripturarum lectio.

Quibus Hieronymus cum Tertulliano aliisque vetustis 1) uti methodum veritatis assequendae Scripturarum examen excludit: contra vero 2) examen facti historici proponit: illudque 3) instituendum circa apostolicitatem quam vocant ecclesiae; ita ut 4) ibi sit veritas Christi, ubi veritas apostolicae usque durantis ecclesiae.

Ea est apostolico-romana fides.

131. Jamvero H. nomine ecclesiae apostolicae *κατ' ἐξοχὴν* non aliam ab Hieronymo quam romanam insigniri ecclesiam, constat generatim ex comperta illius ratione sentiendi; tum iis efficitur 1) quae de alexandrina ecclesia idem Hieronymus refert. In origeniana causa desciverat Hieronymus ab Joannis hierosolymitani communione, utpote qui origenistarum columen esset atque tutela. Alexandrinus patriarcha Theophilus litteris ad Hieronymum datis ipsum commonefecit, ecclesiae regulis cautum esse, ne quis a proprio episcopo divortium faceret. Suarum esse partium censuit doctor maximus satis Theophilo facere: verum [1] hoc unum reposuit, sequi se „Romanam fidem apostolico ore laudatam, cujus se participare alexandrina gloriatur ecclesia.„ Quibus indicare voluit, se quamvis separatum fidei causa ab hierosolymitano episcopo, unitum tamen esse fidei romanae, cujus unitatem alexandrina ecclesia depraedicabat, idque sufficere ut se quis catholicum praestaret. Efficitur 2) iis quae adversus Rufinum disputans peremptoria scribit. Docuit [2] nimirum, unum illud requiri et sufficere, eo quod genuina nota catholicae ecclesiae sit. Ita enim Rufinum perstringit: „Fidem suam quam vocat? eamne qua romana pollet ecclesia, an illam quae in Origenis voluminibus con-

[1] Epist. 63. n. 2.
[2] Adv. Rufin. l. I. n. 4.

tinetur? Si romanam responderit, ergo catholici [1] sumus.„ Efficitur denique 3) omissis aliis neque paucis neque minus praeclaris, quae in medium depromi facile possent, sua ipsius agendi ratione, quam in occurrente sibi dubio tenendam duxit: „Ego igitur, ita in litteris [2] ad Damasum, ut ante jam scripsi, Christi vestem in romana urbe suscipiens, nunc barbaro Syriae limite teneor. Et ne putes alterius hanc de me fuisse sententiam, quid mererer ipse constitui. Verum ut ait gentilis poëta [3]: Coelum non animum mutat, qui trans mare currit, ita me incessabilis inimicus post tergum sequutus est, ut majora in solitudine bella nunc patiar. Hinc enim praesidiis fulta [4] mundi ariana rabies fremit. Hinc in tres partes scissa ecclesia ad se rapere me festinat. Monachorum circa manentium antiqua in me surgit auctoritas. Ego interim clamito, si quis cathedrae Petri jungitur, meus est. Meletius, Vitalis atque Paulinus tibi haerere se dicunt, possem credere si hoc unus assereret. Nunc aut duo mentiuntur aut omnes. Idcirco obtestor Beatitudinem tuam per crucem Domini, per necessarium fidei nostrae decus, passionem Christi, ut qui Apostolos honore sequeris, sequaris et merito: ita in solio cum duodecim judicaturus sedeas: ita te alius senem cum Petro cingat: ita municipatum coeli cum Paulo consequaris, ut mihi litteris tuis, apud quem in Syria debeam communicare significes. Noli despicere animam pro qua Christus mortuus est.„ Tanti faciebat communionem cum cathedra romani Pontificis! Scilicet tanti quanti salutarem fidem. Non ergo alibi haec quaerenda, quam in romana ecclesia; neque aliunde petenda nota ejus ac norma, quam ab illius cathedra quae est cathedra fidei atque salutis.

---

[1] Hinc factum est catholicam fidem peculiari nomine romanam dici, et romanam similiter appellari ecclesiam catholicam ob unitatem fidei, quam cum fide romanae sedis universa ecclesia singulariter profitetur. Licet enim cujusvis catholicae ecclesiae fides catholica sit; attamen praecipuo quodam modo catholica dicitur et est fides romanae ecclesiae, quia omnium catholicarum ecclesiarum fides, Irenaeo teste, cum romana convenire debet; adeo ut sicut non alia est ecclesia catholica, nisi quae romanae tamquam communi fundamento et centro unitatis adhaeret: ita non alia sit catholicae ecclesiae fides, nisi quae fidei romanae sedis tamquam petrae incumbat, et cum ea omnino concordet. Cf. quae c. I. disseruimus.

[2] Ep. 58. al. 16. coll. ep. 57. al. 15. coll. ep. 130. n. 16. ad Demetriad.

[3] Horat. epp. l. I. ep. 11.

[4] Denotat Meletium, qui Gratiani lege et Saporis magistri militum arbitrio arianas ecclesias occupabat triumque hypostasium professionem postulabat.

7. Methodus Augustini.

132. Eidem cum Ambrosio et Hieronymo tertius insistens Augustinus nihil praetermisit, quo necessitatem unitatis communionisque cum romanis Pontificibus adstrueret atque vindicaret.

Romanorum series Pontificum.

Verum numquam Augustinus luculentius necessitatem asseruit conservandae cum romanis Pontificibus communionis, quam in psalmo contra partem Donati, et in epistola [1], quam ipsemet, Fortunatus et Alypius ad Generosum dederunt. Ut enim 1) donatistas ab ecclesia rescissos demonstret, utrimque seriem romanorum Pontificum ad Anastasium usque pertexit; et postquam 2) in ea serie evicit, tum nullum donatistam episcopum reperiri, tum nullum adesse antistitem quocum societatis communione donatistae jungerentur, concludit: ipsos alienos esse ab ecclesiae aedificio, quod instituente Christo romanis Pontificibus veluti fundamento incumbit.

Catholicus quisquis romani Pontificis communione fruitur.

133. Immo quam presse Augustinus superiorum vestigia legerit, inde I. manifesto apparet, quod contra haereticam pelagianorum novitatem appellet [2] ad antiquam et vere catholicam ecclesiam. Sed quam vocat Augustinus antiquam vereque catholicam ecclesiam? Non aliam II. quam romanam, quam *κατ' ἐξοχὴν* apostolicam sedem appellat [3], cui nefas esse docet consensionem communionemque negare:

Romani episcopi magisterio auctoritatique resistere arrogantiae impietatisque indicium.

„Cum igitur tantum auxilium Dei, tantum profectum fructumque videamus, dubitabimus nos ejus ecclesiae condere gremio, quae usque ad confessionem generis humani ab apostolica sede per successiones episcoporum, frustra haereticis circumlatrantibus, et partim plebis ipsius judicio, partim conciliorum gravitate, partim

[1] Epist. 53. n. 2. „Si enim ordo episcoporum sibi succedentium considerandus est, quanto certius et vere salubriter ab ipso Petro numeramus, cui totius ecclesiae figuram gerenti Dominus ait, (Matth. XVI. 18.) Super hanc petram aedificabo ecclesiam meam et portae inferorum non vincent eam.„ Et relato Pontificum censu concludit: „In hoc ordine successionis nullus donatista episcopus invenitur. Sed ex transverso ex Africa ordinatum miserunt, qui paucis praesidens Afris in urbe Roma Montensium vel Cutzupitarum vocabulum propagavit.„ Quibus confer, quae idem Augustinus dixit or. LII. n. 1. et CLXIX. n. 4. ap. Mai N. PP. Bib. tom. I.

[2] Con. Jul. l. I. c. 4.

[3] De utilit. cred. c. XVII. n. 35. coll. adv. Petilian. l. III. c. 51 sqq.

etiam miraculorum majestate a damnatis culmen auctoritatis obtinuit? Cui nolle primas dare, vel summae profecto impietatis est, vel praecipitis arrogantiae. Nam si nulla certa ad sapientiam salutemque animis via est, nisi cum eos rationi praecolit fides; quid est aliud ingratum esse opi atque auxilio divino, quam tanto labore (al. robore) praeditae auctoritati velle resistere? Et si unaquaeque disciplina quamquam vilis et facilis ut recipi possit, doctorem aut magistrum requirit, quid temerariae [1] superbiae plenius quam divinorum sacramentorum libros et ab interpretibus suis nolle cognoscere et incognitos velle damnare?„

Scilicet non examen librorum privatum, ut ajunt, sed authenticum requirit tribunal ac magisterium, a quo fideles doceantur: idque auctore eodem Augustino positum divinitus fuit in ecclesia catholica et apostolica. Sed haec est sola romana. Hanc enim uti legem hanc uti normam ac viam quam ipse [2] sequebatur tenendam esse praecipit:

Quae vincula in ecclesia romano-catholica hominem retinent.

„In catholica enim ecclesia, ut omittam sincerissimam sapientiam, ad cujus cognitionem pauci [3] spiritales in hac vita perveniunt, ut eam ex minima quidem parte, quia homines sunt, sed tamen sine dubitatione cognoscant: ceteram quippe turbam [4] non intelligendi vivacitas, sed credendi simplicitas tutissimam facit: ut ergo hanc omittam sapientiam quam in ecclesia esse catholica non creditis; multa sunt alia quae in ejus gremio me justissime teneant. Tenet consensio populorum atque gentium: tenet auctoritas mira-

---

[1] Id sibi dictum arbitrentur, qui romanae ecclesiae iudicium renuunt eiusdemque tribunal despiciunt.

[2] Con. ep. Manich. quam vocant fundamenti l. unic. c. IV. n. 5.

[3] Spiritalium nomine eos ab Augustino significari diceres, quos Clemens alexandrinus in Stromatum libris passim γνωστικοὺς appellat. Videntur enim illi non esse alii quam quos q. 46. ex qq. 83. describit: „Sed anima rationalis inter eas res quae sunt a Deo conditae omnia superat, et Deo proxima est, quando pura est, eique in quantum caritate cohaeserit, in tantum ab eo lumine illo intelligibili perfusa quodammodo et illustrata cernit, non per corporeos oculos, sed per ipsius sui principale quo excellit, id est per intelligentiam suam, istas rationes quarum visione fit beatissima. Quas rationes ut dictum est, sive ideas, sive formas, sive species, sive rationes licet vocare et multis conceditur appellare quod libet, sed paucissimis videre quod verum est.„ Quibus parallela omnino sunt quae Clemens alex. str. l. IV. n. 25. de earumdem idearum contemplatoribus disserit.

[4] Turbae nomine vulgus venit atque generatim populus litteris politioribus non excultus, neque etiam altioribus ad Deum ascensionibus excellens.

culis inchoata, spe nutrita, caritate aucta, vetustate firmata: tenet ab ipsa sede Petri Apostoli, cui pascendas oves suas post resurrectionem Dominus commendavit usque ad praesentem episcopatum successio sacerdotum: tenet postremo ipsum catholicae nomen, quod non sine causa inter tam multas haereses sic ista ecclesia sola obtinuit, ut cum omnes haeretici se catholicos dici velint, quaerenti tamen peregrino alicui, ubi ad catholicam conveniatur, nullus haereticorum vel basilicam suam vel domum audeat ostendere. Ista ergo tot et tanta nominis christiani carissima vincula recte hominem tenent credentem in catholica ecclesia, etiamsi propter nostrae intelligentiae tarditatem vel vitae meritum veritas nondum se apertissime ostendat.„

Quibus ita catholica ecclesia unice salutifera describitur, ut simul non alia probetur, quam quae cum Petri ejusque successorum sede ac cathedra vincta junctaque est.

8. Methodus sequiorum.

134. A via porro hac regia, quam tanta celebritate majores frequentarant sequiores in Occidente nullatenus deflexerunt; testis est venerabilis Beda [1], testis sanctus Bernardus [2] et ut locus quoque uni ex minus quidem famigeratis reverendis tamen ecclesiae scriptoribus concedatur, testis est Petrus abbas cellensis, qui Nicolao s. Albani monacho [3] post alia haec scribit: „Est tamen auro locus, in quo conflatur [4] et habet argentum venarum suarum principia, sedem Petri et curiam romanam quae clavos coeli principaliter tenet.„ Et iterum [5]: „Versa et reversa, in quolibet statu venerationis et glorificationis (bb. V. M.) tecum vado, tecum sentio. Si vero extra communis monetae formam vis fabricare aliam, quam non adprobavit sedes Petri, cujus est vel adprobare vel improbare ordinem universalis ecclesiae, pedem sisto et terminos constitutos non transgredior.„

Beda
Bernardus.
Petrus cellensis

[1] Enarrans oraculum Domini ap. Matth. XVI. et Joh. XXI. hh. 15. et 16. in vig. et fest. ss. Apost. Petri et Pauli.
[2] Ep. 174. ad canon. lugdun. n. 9. opp. t. I. p. 172.
[3] Epp. XXIII. epp. l. VI. p. 879. in max. PP. lib. tom. XXIII.
[4] Job. XXVIII. 1.
[5] Ibid. l. IX. ep. 10. p. 906.

9. Conspirant orientales.

135. Sed ne in oriente a via illa adeo illustri devii et alieni majores fuisse putentur, generatim exigit universalis orientalium cum occidentalibus conspiratio, exigunt plurima quae jam ex monumentis orientalium generatim in medium protulimus, atque exigunt

Epiphanius.

Praesidium veritatis in romana cathedra.

I. illa [1] Epiphanii, quibus in romanorum episcoporum successione certae exploratae que veritatis praesidium jugiter situm significat. Hinc illorum seriem percenset atque hanc ejus rei causam perhibet: „Et ne quis miretur, quod singula tam accurate percensuimus; per hos enim semper quod tenendum est ostenditur.„ Tum exigit

Cyrillus.

II. Cyrilli auctoritas. Jam suam disseminabat haeresim Nestorius, et tanti facinoris indubia fama ad aures pervenerat Cyrilli antistitis alexandrini. Non ipsum fugiebat, nefas esse catholico episcopo communionis nexibus haeretico homini devinciri. Quid ergo consilii cepit? Non prius a sua communione Nestorium rescindere existimavit, quam litteris ad Coelestinum datis [2] ipsum in haec verba sciscitaretur: „Digneris igitur nobis declarare, quid tibi videatur, et utrum aliquando cum illo communicare oporteat, an libere denunciare, neminem cum eo, qui talia sentit ac docet, communicare.„ Scilicet romani Pontificis sententia Cyrillo erat tamquam norma tutissima abrumpendae vel servandae communionis. Immo cum in eadem epistola adjiciat, opus esse ut Coelestinus quod definierit aliis quoque episcopis unitatis bono significet, „ut omnes uno animo in una sententia persistant,„ compertum est a tanto viro fuisse apostolicae sedis expetitum judicium, non modo ut regulam communionis haberet, verum etiam ut catholicis omnibus norma suppeteret, qua in ejusdem fidei professione continerentur. Exigunt denique

Tuta norma iudicium romanum.

Theodoretus.

III. praeclara Theodoreti verba [3] quibus supplex Leonem

[1] Haer. VII. carpocrat. tom. I. p. 107. *Καὶ μή τις θαυμάσῃ ὅτι ἕκαστα οὕτως ἀκριβῶς διήλθομεν· διὰ γὰρ τούτων ἀεὶ τὸ σαφὲς δείκνυται.*

[2] Vid. epist. VIII. inter epist. Coelestini apud Coustant. n. 7.

[3] Ep. 113. ad Leon. *Ἐγὼ δὲ τοῦ ἀποστολικοῦ ὑμῶν θρόνου περιμένω τὴν ψῆφον καὶ ἱκετεύω καὶ ἀντιβολῶ τὴν σὴν ἁγιότητα, ἐπαμύναί μοι τὸ ὀρθὸν ὑμῶν καὶ δίκαιον ἐπικαλουμένῳ κριτήριον, καὶ κελεῦσαι δραμεῖν πρὸς ὑμᾶς, καὶ ἐπιδεῖξαί μοι τὴν διδασκαλίαν τοῖς ἀποστολικοῖς ἴχνεσιν ἑπομένην..... καὶ ῥᾴδιον ἐκ τούτων καταμαθεῖν εἴτε ἀκλινῆ τὸν κανόνα τῆς πίστεως διετήρησα εἴτε τὴν τούτου παρέβην εὐθύτητα.* Conferantur quae Nazianzenus in l. de vita sua

compellat: „Ego vero apostolici vestri throni exspecto calculum, et oro atque precor sanctitatem tuam, ut provocatum me recto vestro et justo criterio juvet et ad vos festinare jubeat, meamque doctrinam apostolica sequentem vestigia commonstret.„ Tum allegatis suis quae eo usque exaraverat scriptis subdit: „Et facilius ex his est nosse, utrum indeclinabilem normam fidei tenuerim vel ejus rectitudinem fuerim transgressus.„ A quibus sejungi ea non debent, quae idem post alios allatos Patres ad Leonis M. ejusque sedis auctoritatem denotandam scribit [1] de integra humana Christi natura: „Et re quidem vera etiam is qui nunc magnam Romam regit et verorum dogmatum radios ab occasu ubivis diffundit sanctissimus Leo, hunc nobis fidei characterem h. e. regulam vel formam per proprias litteras proposuit.„

Sententia romana fidei paradigma.

136. Quibus ad rem nihil praeclarius desiderari potest: nisi forte IV. insignius censeri illud debeat, quod congregati praesules in unum plus semel de Petri suorumque successorum cathedra professi sunt. Atque huc satis sit retulisse quae in chalcedonensi synodo [2] disseruit Cecropius episcopus sebastopolitanus: „Emerserunt quae ad Eutychen pertinent, et super iis forma data est a sanctissimo archiepiscopo romanae urbis, et sequimur eum et epistolae omnes subscripsimus. Reverendissimi episcopi clamaverunt: Ista omnes dicimus, sufficiunt quae exposita sunt, alteram expositionem non licet fieri.„ . Et similia ibidem rursum postea repetuntur quum in sententia damnationis Dioscori ita [3] legati pronuntiant: „Sanctissimus et beatissimus senioris Romae archiepiscopus Leo per nos et praesentem synodum cum ter beatissimo et

Concilium chalcedonense.

de discrimine canit inter veterem novamque Romam, quo illam servare, hanc autem perdere fidem significat.

[1] Ep. 145. *Καὶ μὲν δὴ καὶ ὁ νῦν τὴν μεγάλην Ῥώμην ἰθύνων, καὶ τῶν ὀρθῶν δογμάτων τὰς ἀκτῖνας ἐκ τῆς ἑσπέρας πάντοτε ἐκτείνων ὁ ἁγιώτατος Λέων, τοῦτον ἡμῖν τῆς πίστεως χαρακτῆρα διὰ τῶν οἰκείων γραμμάτων προσήνεγκεν.*

[2] Act. II. ap. Harduin. tom. II. p. 286. *Ἀνεφύη τὰ κατὰ Εὐτυχέα· ἐπὶ τούτοις τύπος ἐδόθη παρὰ τοῦ ἁγιωτάτου ἐν Ῥώμῃ ἀρχιεπισκόπου καὶ στοιχοῦμεν αὐτῷ καὶ ὑπεγράψαμεν πάντες τῇ ἐπιστολῇ· οἱ εὐλαβέστατοι ἐπίσκοποι ἐπεβόησαν· ταῦτα πάντες λέγομεν· ἀρκεῖ τὰ ἐκτεθέντα· ἄλλην ἔκθεσιν οὐκ ἐξὸν γενέσθαι.*

[3] Act. III. *Ὁ ἁγιώτατος καὶ μακαριώτατος τῆς μεγάλης καὶ πρεσβυτέρας Ῥώμης ἀρχιεπίσκοπος Λέων, δι' ἡμῶν καὶ τῆς παρούσης συνόδου, μετὰ τοῦ τρισμακαριωτάτου καὶ πανευφήμου Πέτρου τοῦ Ἀποστόλου, ὅς ἐστι πέτρα καὶ κρηπὶς τῆς ἀποστολικῆς ἐκκλησίας καὶ τῆς ὀρθοδόξης πίστεως ὁ θεμέλιος, ἐγύμνωσεν αὐτὸν τῆς τοῦ ἐπισκόπου καὶ πάσης ἱερατικῆς ἠλλοτρίωσεν ἀξίας.*

gloriosissimo Petro Apostolo qui est petra et basis catholicae ecclesiae fideique orthodoxae fundamentum, exuit illum ac privavit episcopali et omni sacerdotali dignitate.„

Synodi aquileiensis et ephesina.

Quibus gemina sunt quae ad Gratianum aliosque imperii principes scripsit synodus aquileiensis [1] quaeque Philippus presbyter in synodo ephesina [2] dixit: „Petrus enim fidei columna et ecclesiae fundamentum per successores suos semper vivit.„ Et quae iterum in eadem synodo [3] Patres ad romanum praesulem scribunt: „Est enim vobis adeo magnis hoc in more positum, ut studia vestra ecclesiarum fundamenta efficiatis.„

10. Necessariae communionis romanae tesserae tam apud orientales quam apud occidentales.

137. Una ergo et eadem cogitandi sentiendique ratio occidentalibus aeque ac orientalibus ecclesiae Patribus continuo jugiterque insidebat, romanam scilicet cathedram necessariae salutarisque omnium fidei fundamentum esse caritatisque necessariae omnibus centrum: tum una eademque utrisque via usitata erat ac *μεθόδος* probandae sive fidei verae sive sincerae communionis, per romanam videlicet cathedram. Jamvero ecclesia Dei cum sit societas non mere interna ac spiritalis, sed etiam externa et humano-divina, neque vinculis tantum coelestibus ac divinis sed humanis quoque terrenis ac publicis cohaerere debeat: fieri aliter non potuit, quam ut consensio communioque cum romana ecclesia externis, publicis solemnibusque documentis demonstraretur.

Litterae formatae.

138. Atque huc pertinet formatarum quas vocant, usus litterarum eo spectantium, ut instrumento authentico societas ac communio cum sacra Petri cathedra comprobaretur omnibusque

[1] Epistola data imperatoribus ap. Harduin. tom. I. p. 837. in causa Ursicini: „Cum igitur scriptum sit, haereticum post unam correctionem devita;... quomodo fieri potest, ut eum quem societati eorum (arianorum) insertum vidimus, non etiam assertorem perfidiae judicemus? Quod etiamsi deforet, tamen totius orbis romani caput romanam ecclesiam atque illam sacrosanctam fidem Apostolorum ne turbari sineret, obsecranda fuit clementia vestra. Inde enim in omnes veneranda communicationis jura dimanant.„

[2] P. II. act. 3. ap. Hard. t. I. p. 1478.

[3] In epist. ad Coelest. Pap.: *Ἔθος ὑμῖν τοῖς οὕτω μεγάλοις εὐδοκιμεῖν εἰς ἅπαντα ἔρεισμά τε τῶν ἐκκλησιῶν τὰς ἑαυτῶν ποιεῖσθαι σπουδάς.*

patefieret. Quum res vulgatissima [1] in utraque orbis plaga fuerit, paucis erimus contenti. Ad hunc usum respexit Tertullianus quum modo [2] de contesseratione fidei sermonem instituit, modo [3] commemorat „contesserationem hospitalitatis:„ nimirum designat libellum fidei, quem ab hospitibus postulabant cum aliae tum romana nominatim ecclesia, ut eos post unius ejusdemque professionem fidei in Petri communionem reciperet. Ad eumdem usum pertinent quae s. Cyprianus ad romanam ecclesiam scripsit [4] de cura ac sollicitudine adhibenda, ne communionis litterae suo authentiae charactere destituerentur. Huc porro facit laudata [5] Optati milevitani sententia, qua totidem verbis „formatarum litterarum„ mentionem facit, quarum „commercio [6] totum orbem cum Siricio romanae cathedrae episcopo in una communionis societate concordantem„ perhibet. Huc facit sancti Augustini epistola [7] Eleusio,

Tertullianus. *Cyprianus.* *Optatus.* *Augustinus.*

[1] Cf. Christ. Lupum in scholiis ad Tert. de praescriptt. cc. XX. sq. coll. Bernh. Ferrar. de epp. ecclesiast., Garner. in not. ad diurnum et in append. ad hujusmodi not. c. II. n. 24. Pet. Ballerin. de vi ac rat. primat. c. XI. n. 11. Suicer. ad v. κανονικὸς et Hefele hist. conc. ad indicis v. epistolae.

[2] Praescriptt. c. XXI. l. sup. c.

[3] Ibid. c. XX.

[4] Ad presbytt. et diac. rom. ep. III. coll. ep. XLV.

[5] Ad Parmen. l. II. c. 2. c. schism. don.

[6] Juverit animadvertisse, potuisse quidem et fidei symbolum et sacramenta communia esse societati catholicae atque schismaticorum factionibus; verum communicatorias litteras inter catholicae tantum unitatis episcopos ultro citroque dari potuisse. Hinc Augustinus ut schismatis reos convinceret donatistas, postquam in litteris ad Honoratum eorumdem episcopum datis (epist. 161.) ecclesias recensuit ab Apostolis laudatas et fundatas, continuo subdit: „Quibus omnibus ecclesiis nos hodie communicare manifestum est, sicut manifestum est, vos istis ecclesiis non communicare.„

[7] Ep. CLXIII. al. XLIV. ubi Augustinus significat, cum Fortunii litteris agendum ab omnibus sub coelo catholicis ecclesiis, quod arianorum episcoporum litteris faciendum ab africanis episcopis edixerat Athanasius: „Ne recipiatis illorum litteras, sed oblatas disrumpite, eorumque tabellarios ut impios et scelerum administros ejicite.„ Et ne haec adversus haereticos dicta ad schismaticos transferri non posse videantur, audiatur Augustinus, cujus ista sunt verba in capite primo libri prioris contra Petilianum donatistam: „Factum est ut ad nonnullos, etiam primates donatistarum, litteras daremus, non quidem communicatorias, quibus se jam in praeteritum indignos a catholica ecclesia dissentiendo fecerunt, nec tamen contumeliosas, sed pacificas, ut nobiscum quaestione discussa corrigi vellent.„ Quae praeterea demonstrant, multiplex in usu fuisse epistolarum genus, quod pariter innotescit cum ex undecimo canone synodi chalcedonensis, et canone septimo synodi antiochenae, tum ex ejusdem Augustini ad Emeritum donatistam litteris (epist. 164.): „Ego viro, quem, excepto schismate, bonum et liberaliter in-

Athanasius.

Glorio et Felicibus data de concordia cum Fortunio donatistarum episcopo, quam absque tumultu placidaque via inire tentaverat. Scribit porro post inutiles disputationes, quibus ille se catholicum esse contenderat, semet quaesivisse: „Utrum epistolas communicatorias quas formatas dicimus posset quo vellem dare, quum manifestum omnibus esset, hoc modo facillime illam terminari posse quaestionem.„ Tum subdit: „Parabam autem, ut, si consentiret, ad illas ecclesias a nobis tales litterae mitterentur, quas in apostolicis auctoritatibus pariter legeremus illo jam tempore fuisse fundatas.„ At inter eas principem locum ab Augustino romanae concessum ecclesiae abunde novimus.

Concilium VIII.

139. Atque ut finem citationibus imponamus, ad rem nihil disertius dici potuit, quam quod in concilio constantinopolitano VIII. actum [1] legitur: „Mos est in romana ecclesia ab omni homine hospite libellum fidei exigendi, et ita permitti hunc in sanctum Petrum intrare. Fecerunt isti (ita interrogantur romani Pontificis legati) secundum hanc formam, an non? Sanctissimi vicarii senioris Romae dixerunt: Ita fecerunt. Zacharias et Theophilus dudum episcopi dixerunt: Unum an duos fecimus? Sanctissimi vicarii senioris Romae dixerunt: Duos [2] libellos fecistis. Zacharias et Theophilus dudum episcopi dixerunt: Ergo non erant ibi. Magnificentissimi et gloriosissimi principes interrogaverunt sanctos vicarios: Quid circumferebat libellus? Sanctissimi vicarii Romae dixerunt: Ut secundum catholicam ecclesiam teneant et defendant veritatem, et per omnia sequantur judicium sanctae romanae ecclesiae. Bahanes magnificentissimus patricius et praepositus dixit: Ita confessi sunt heri in secretariis, ut per omnia consentiant romanorum ecclesiae. Sanctissimi vicarii senioris Romae dixerunt: Interrogate ergo praevaricatores ipsos, utrum faciant romanum libellum [3] nec ne? Magnificentissimi et gloriosissimi principes dixe-

structum audivi, pacificantes litteras scripsi.„ Cf. eumd. Aug. ep. XLIII. n. 7. l. c.

[1] Act. IV. ap. Harduin. t. V. p. 816. coll. Theodoret. H. E. l. V. c. 3. de Flavian. antioch. et Gelas. ad Laurent. ep. de Lig. ep. 2.

[2] Adnotatio Anastasii bibliothecarii ex edit. rom. „Et revera duos libellos fecerunt: unum scilicet fidei, antequam urbem ingrederentur, et alterum pro sequendis decretis apostolicae sedis, antequam in communionem reciperentur.„

[3] De ratione ac forma litteras formatas faciendi videsis Harduin t. V. pp. 1453 sqq.

runt ad Zachariam et Theophilum dudum episcopos: Facitis libellum an non? Zacharias et Theophilus dudum episcopi dixerunt: nec audire illum volumus. Sanctissimi vicarii senioris Romae dixerunt: Emittite illos foras.„ Quod etiam illico exsequutioni mandatum. Quibus non minus usus ipse litterarum communicationis universim asseritur, quam ejus finis declaretur eximioque specimine illustretur.

11. Sectarum suffragium.

140. Penitissima ergo erat et universalis fides ac persuasio totius antiquitatis quam θεωρηματικῶς enuntiavit et πρακτικῶς manifestavit, veram fidem caritatemque catholicam in sola obtinere romana unitate, ideoque necessarium plane esse, cum romana unitate debitis vinculis cohaerere, atque hoc debitis modis patefacere. Tanta porro erat veritatis illius vis ut vel ipsi haeretici ac schismatici eamdem convicti coactique confirmasse deprehendantur.

141. Convicti ea re deprehenduntur Fortunatus et Felicissimus aliique Africae schismatici, de quibus Cyprianus [1] ad Cornelium scripsit: „Navigare audent, et ad Petri cathedram atque ad ecclesiam principalem, unde unitas sacerdotalis orta est, a schismaticis et profanis litteras ferre; nec cogitare eos esse romanos, quorum fides Apostolo praedicante laudata est, ad quos perfidia habere non possit [2] accessum.„ *Fortunatus et Felicissimus.*

[1] Ep. LV. ed. Paris. 1726. p. 86. ibidem autem p. 87. haec praeclara subdit: „De istis vero quid dicam qui nunc ad te cum Felicissimo omnium criminum reo navigaverunt legati a Fortunato pseudoëpiscopo missi, tam falsas ad te litteras afferentes quam est et ipse cuius litteras ferunt falsus, quam est eius peccatorum multiplex conscientia, quam execrabilis vita, quam turpis, ut etsi in ecclesia essent, eiici tales de ecclesia debuissent. Denique quia conscientiam suam norunt, nec nos audent adire aut ad ecclesiae limen accedere, sed foris per provinciam circumveniendis fratribus et spoliandis pererrant, et omnibus iam satis noti atque undique pro suis facinoribus exclusi, illuc etiam ad vos navigant.„ Haec apostatarum sors!

[2] Sed, inquis, quinam fieri potuit, ut Cyprianus, talis quum esset persuasionis, ipse tamen facto actuque a romano Cornelio dissideret? Nimirum si qua in pluribus licet diversa attamen in nonnullis similia conferri mutuo possunt; id de Cypriano dicendum arbitramur quod de Tertulliano loquentes usurpare consuevimus. Itaque quemadmodum nemo est qui non maxime probet quae de necessitate retinendae fidei in apostolicis ecclesiis praedicatae Tertullianus scripsit in libro de praescriptionibus: et quemadmodum omnes unanimi suffragio a Tertulliano recedunt hanc necessitatem inficiante post- *Cypriani labes.*

Meletiani. 142. Convicti deprehenduntur qui discissi erant in oriente nominatim antiochenses Meletii asseclae, qui trium hypostasium appellatione utentes ideoque in haereseos suspicionem vocati, ut illam a se amolirentur, summis studiis in comparanda sibi romanae sedis communione adlaborarunt. De illis enim sub campensium [1] nomine haec Hieronymus [2] ad Damasum refert: „Campenses cum tarsensibus haereticis copulati, nihil aliud ambiunt quam ut auctoritate communionis vestrae fulti tres hypostases cum antiquo i. e. haeretico sensu [3] praedicent.„

Interea Hieronymus Antiochiae degens ut tres hypostases fateretur, urgebatur vehementissime. At is anceps et dubius quum in tres scissam partes antiochenam ecclesiam lamentaretur ob tres episcopos Meletium, Paulinum et Vitalem, quorum singuli Damasi communionem praeferebant; ad hunc litteras dedit ut certior fieret, num una, an tres hypostases dicendae essent, et quocum episcopo ipsi foret communicandum. Ita vero in hoc negotio sese sollicitum Hieronymus prodit, ut quemadmodum exposuimus non minus fidei quam communionis unitatem cum romano Pontifice necessariam esse luculentissime patefaciat. Sed idem Meletiani patefaciebant.

Fortunius tubursicensis. 143. Et convicti deprehenduntur, ut alios [4] praetermittamus, donatistae, e quorum numero Fortunius tubursicensis formatarum

quam Montanistarum factioni nomen dedit; ita cauti sapientisque hominis est et Cypriano adhaerere communem causam protegenti ac unitatis necessitatem cum Petri cathedra constituenti, et ab eodem desciscere postquam in errorem incaute lapsus illam tueri ut par fuisset neque potuit neque satis novit quin errores errori adjiceret, usque dum martyrium rursus cum Cornelio romano eum copularet.

[1] Campenses antiochenos illos vocat Hieronymus, qui Meletio addicti ante ejus reditum synaxes in agris peragebant.

[2] Epist. XV. n. 5.

[3] Equidem durius censuisse Hieronymum haereticis Meletianos accensentem fugit neminem; orthodoxi namque illi fuerunt et sedulam navarunt operam, ut communionem romanae sedis assequuti se catholicos atque ab omni haereseos labe integros demonstrarent. Unde patet, existimasse Meletianos, certissimum esse orthodoxiae indicium, Petri cathedrae communione sociari.

[4] Eorum enim census texi longe maximus posset, ducto initio a Marcione, (qui ob fractum castitatis votum a proprio patre, pio episcopo, excommunicatus Romam venit anno 127. ut communionis catholicae particeps fieret) usque ad praesentem diem, quo ad declinandam excommunicationis vim propriaeque blandiendum conscientiae morsibus valorem potius censurarum simpliciter negant, quam ut suam ab ecclesia separationem fateantur.

litterarum pressus argumento [1], neque ausus extra unitatem episcopatus veram Christi ecclesiam constituere, Augustino illud argumentum adhibenti opposuit „quoddam volumen, ubi volebat ostendere, sardicense concilium ad episcopos afros, qui erant communionis Donati, dedisse litteras.„

Cresconius donatista.

144. Eadem exceptione usum fuisse Cresconium similiter donatistam, liquet [2] ex opere in ipsum Cresconium ab Augustino exarato. Utrum dolo malo, an inscitia ita se donatistae gesserint, ut sardicensi synodo tribuerint litteras philippopolitani conventus, quibus Eusebiana factio studuit sibi africanam donatistarum partem conjungere, anxius non quaeram; sed utique monebo, hoc uno donatistarum facto ad evidentiam usque ostendi, quantopere omnium animis antiquitus insederit [3], extra unitatem episcoporum, cui romanus episcopus praeest, catholicam frustra ecclesiam poni atque salutem sperari.

V. *Divinus romani episcopi primatus.*

Praestitutae traditionis causa.

145. Sed enimvero unde persuasio illa adeo firma, constans, et universalis totius christiani nominis, ab antiquissimis repetita saeculis, modisque expressa plenissime omnibus tam theoreticis quam practicis, veram sinceramque Christi fidem profitendam non esse nisi in unitate romana, et vera germanaque caritatis christianae vincula stringenda non esse nisi cum eadem romana ecclesia? Videlicet non alia ejusmodi effectus ratio ac causa reddi justa

---

[1] Ep. CLXIII. int. August.

[2] Lib. III. c. 34. En Augustini verba: „Africanam haeresim donatistarum orientalis haeresis pseudo-sardicensium sibi tentavit adjungere, quod hinc maxime credibile est, quod ad Carthaginis episcopum romano praetermisso nunquam orientalis catholica scriberet.„ Ergo fatetur Augustinus avulsum esse a communione catholica quisquis communione romani Pontificis non potiatur; ergo ex mente Augustini, immo et orientalis ecclesiae cujus refert consuetudinem, romanus Pontifex centrum est atque origo catholicae communionis.

[3] Quare historia ecclesiastica nobis exhibet catharos, donatistas, luciferianos ad unitatem reduces, et simul nobis ritum exhibet, quo in ecclesiam recipiebantur. Imponebantur illis manus, super illos Spiritus sanctus advocabatur, et nisi ecclesiae commune bonum aliter efflagitasset, quamquam reconciliati, iis privabantur honoribus hierarchicis, quos forte in sua factione obtinuissent. Legi prae ceteris hac de re potest Petrus Coustantius epp. rom. pontif.

potest, quam quae sita est in pervulgata receptaque ab omnibus ubique fide, romanam ecclesiam ac cathedram a Petro fundatam erectamque fuisse, et ejusdem episcopos veros esse et legitimos Apostolorum principis successores atque haeredes; Petrum vero constitutum divinitus esse totius ecclesiae basim atque crepidinem, vel ipsorum Apostolorum centrum atque verticem.

146. Intelligo non unum esse ac simplex quod affirmavi, sed varium ac multiplex: verum illud pariter novi, nihil ex iis esse, quod uti ratum et fixum idque vario certitudinis genere non constaret quodque non liceret hic προληπτικῶς sumere. Nimirum

Petrus romanae fundator ecclesiae.

I. certum exploratumque ex historia ecclesiastica sumimus, beatum Petrum [1] Romam venisse, romanam ecclesiam fundasse et fundatam suo sanguine irrigasse. Tum

Romanus Petri episcopatus.

II. certitudine historica constare accipimus de romano sancti Petri episcopatu [2], quem ad mortem usque tenuit. Porro

Continui Petri successores.

III. constat certitudine historica de continuata [3] romanorum episcoporum serie. Verum

Facta dogmatica.

IV. quum facta haec penitissime cohaereant cum doctrinae capitibus revelatis, fide tenendis et necessariis prorsus ne tota ecclesiae oeconomia labefactetur: fit, ut eadem constent certitudine multo etiam pure historica majori, certitudine videlicet factorum dogmaticorum, quibus certitudo competit infallibilitatis. Sane

Petri primatus perpetuus.

V. revelatione ac fide constat tam de instituto Petri primatu, quam de perpetua ejus ad fines saeculorum usque duratione. Uti enim primum illud insignissimis ss. litterarum oraculis [4] fulcitur;

[1] Cf. Stolberg. hist. eccles. J. C. tom. X. append. de primatu Apostoli Petri eiusque successorum pp̄. 552 sqq.

[2] E plurimis quae id contestantur antiquitatis monumentis huc spectant Euseb. in chron. ad ann. Claud. secundum, Chrysost. in II. Tim. h. 10. Epiphan. h. XXVII. n. 6. Optat. de schism. donat. l. II. l. sup. c., Ambros. de sacr. l. III. c. 1. l. sup. c. Hieron. scriptt. eccles. cc. 1—25. Aug. ad Generos. ep. CLXV. n. 1. Petr. Chrysol. ep. ad Eutych. Sulpic. Sever. hist. sacr. l. II. n. 28. Prudent. hymn. de s. Laurent. M. aliique non pauci quibus usi jam sumus et infra utemur.

[3] Historica rei testimonia non pauca allegata superius fuere. Sed de his vide Em. Schelstrate antiq. illustrat. dissertat. praev. c. II. et e recentioribus Dölling. Christenth. und Kirche pp. 96 sqq. 314 sqq.

[4] De his conferri meretur opus praestatissimum Car. Pass. de praerogat. s. Petri, quod evulgavit 1850 quum adhuc esset e Societate Jesu.

ita necessaria evidentique instituta eorumdem analysi [1] consequitur, praerogativam auctoritatemque primatus Petro collatam una cum Petro non debuisse extingui sed in ecclesia Dei jugiter porro durare. Atqui

VI. Petri praerogativas jugitur continuandas affirmare perinde est, ac perpetuos Petri successores [2] asserere, quibus fieret, ut *Petri successores insignes Petri primatu.*

---

[1] Enimvero revelatum ex aequo haberi debet sive quod necessaria evidentique consequutione analytica ex instrumento divino colligitur, sive quod ex eodem eruitur consequutione quidem synthetica necessaria et evidenti, quae tamen non aliis propositionibus quam divinitus revelatis coalescat. In re autem praesenti consequutionibus uti licet utriusque generis, atque adeo quod illis continebitur, revelatis articulis erit accensendum. Nam I. primatus Petro promissus ostenditur perpetuus verbis Matth. XVI. 18. „Et super hanc petram aedificabo ecclesiam meam„: his enim Petrus tamquam fundamentum necessario exhibetur sub schemate perpetuitatis, quum perpetuum sit aedificium, ab ipso sustinendum. Ostenditur II. perpetuus verbis Matth. XVI. 19. „Et tibi dabo claves regni coelorum„: haec enim quae Petrum significant clavigerum regni coelorum, eumdem adsignificant perpetuum clavigerum regni perpetui. Ostenditur III. perpetuus verbis Matth. XVI. 18. „Et portae inferi non praevalebunt adversus eam„ coll. Lucae. XXII. 31 sqq.: tamdiu enim permanere debent jus et officium confirmandi fratres, quamdiu et tentationes contra fidem ingruent et ecclesia invicta perstabit. Illae autem semper ingruent, et haec numquam expugnabitur. Ergo ostenditur IV. perpetuus verbis Joh. XXI. 15 sqq. quum eo usque perseveraturus sit pastor oecumenicus, quousque ecclesia futura est ovile unum sub uno pastore. Hanc autem formam praeferre ecclesia semper debet. Ergo ostenditur V. perpetuus analogia fidei et Scripturarum conspiratione. Sane Matth. XVI. 18 sqq. Luc. XXII. 31 sqq. et Joh. XXI. 15 sqq. aut promittitur aut instituitur ecclesiasticum ministerium illudque princeps. Jamvero analogia fidei et Scripturarum conspiratio sicuti non ferunt, ut instituta divinitus ministeria cum iis desiisse censeantur, quibus primum fuere collata; ita postulant, ut eadem perpetua existimentur. Videsis Matth. XVIII. 18. XXVIII. 18 sqq. Marc. XVI. 15 sq. Joh. XX. 21 sqq. Ephes. IV. 11 sqq. De his cf. Car. Passaglia de ecclesia Christi vol. II. l. III. c. 24. Accedit VI. Pauli doctrina I. Cor. III. 22 sqq. cum qua necessario cohaeret, ministeria omnia a Christo instituta ipsumque adeo ministerium attributum Cephae, eo spectare ut Ecclesiae commodis prospiciatur. Hinc illud Augustini in libro de Past. c. I. „Quod christiani sumus, propter nos est, quod autem praepositi sumus, propter vos est.„ Commoda porro ecclesiae ac stabilita ministeria non hoc illove circumscribuntur tempore, sed universum mortalitatis tempus complectuntur. Praeterea VII. Christus alloquens Apostolos suis jam ditatos iuribus suisque distinctos characteribus, Matth. XXVIII. 20., sic habet: „Et ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem saeculi.„ Futurum ergo erat, ut cum Petro suis ditato juribus suoque charactere distincto Christus adesset usque ad consummationem saeculi. Atqui hinc nihil evidentius, quam jura Petri ejusque primatum una cum ipso desinere nullatenus debuisse.

[2] Cf. Stolberg. hist. e. J. C. l. c.

Petrus qui talis proprie est ac dicitur vi suarum praerogativarum in ecclesia Dei esse numquam desineret. Quare

Petrus iugiter vivit.

VII. jure divino ac lege divinitus statuta [1] Petrus jugiter vivit in successoribus suis, qui vim auctoritatemque primatus continua hereditate acceptam ad finem usque saeculorum propagant. Jam vero

VIII. Petri successores teste historia ac traditione neque sunt neque vocati umquam alii fuere [2] a praesulibus ecclesiae romanae, ita ut vel ipso solemni loquendi usu in antiquitate passim recepto [3] romana ecclesia appellari consueverit Petri sedes Petrique cathedra. Ergo

Petrus Romae.

IX. romanae sedis praesules jure divino potiuntur Petri praerogativis, eodemque jure [4] ea de illis omnia valent quae de Petro ecclesiae primatum tenente nota compertaque credimus.

---

[1] Haec continuae successionis lex ut superiora ostendunt, humana non est sed omnino divina, neque aliunde quam ex voluntate Christi institutoris repetenda. Ab hac autem lege distingui successionis debet conditio, eo pertinens ut determinetur, quinam prae reliquis illi pastores exsistant, qui in primatu Petro rite succedant. De ejusmodi porro conditione quum jure divino positivo nihil constet, jure autem positivo humano statui nequeat, ex facto tantum Petri reique natura aestimari rite potest. Nimirum redit illa conditio ad conjunctionem originalem primatus cum episcopatu romano, seu quod idem est ad romanum episcopatum a Petro ad suam usque mortem primatus juribus auctum. Reliquis ergo exclusis Petrus supremum obiens diem romanum episcopatum ad primatus auctoritatem evectum suo Romae successori reliquit; ideoque ex ipsa rei natura successor ejus in romano episcopatu una atque simul in primatu eidem successit atque usque succedit. Et hoc est quod universalis ecclesiae traditione firmatur.

Successionis conditio.

[2] Neque dictum neque auditum est umquam, alterius cujusdam sedis episcopum esse Petri in primatu successorem: sed dictum semper semperque inculcatum in monumentis ecclesiasticis legimus, Petri successorem romanae sedis esse antistitem: qua de re ante concilium VII. dubitavit nemo; post initia vero photiani schismatis declaratum id solemniter fuit in concil. VIII. atque schismate photiano consummato unum romanum episcopum credendum Petri in primatu successorem sanciverunt concilia lugdunense, lateranense et florentinum.

[3] Ita Cypr. epp. LII. LV. Hieron. ep. XV. ad Damas. Patres sardic. in litt. ad Julium pont., syn. VI. act. 16. in serm. prosphon. ad Constant. imp., Theodor. studit. epp. l. II. ep. 12. Constant. Pogon. in rescript. ad Leon. II. Just. et Iren. in dival. ad Hadrian. I. syn. VIII. act. X. c. 21. et alii alibi.

[4] Etenim ex eodem fonte repeti jus debet, quo romani episcopi Petro succedunt, e quo lex ipsa successionem determinans proficiscitur. Haec autem ex institutione Christi ejusque voluntate dimanat. Exinde ergo jus item

147. Quaenam vero illa sunt, quae de Petro comperta exploratagque tenemus? Hoc inprimis, quod uno ore veteres edicunt, idcirco Petrum divinitus fuisse prae omnibus Apostolis auctoritate primatus distinctum, ut stabilito fidei fundamento caritatisque centro in ecclesia Dei sentiendi vivendique unitas conservaretur. „Bono unitatis, ita ex communi sententia [1] Optatus milevitanus, beatus Petrus (cui satis erat, si postquam negavit, solam veniam consequeretur), et praeferri omnibus Apostolis meruit, et claves regni coelorum communicandas ceteris solus accepit.„ Et iterum: „Stant tot innocentes, et peccator accipit claves: ut unitatis negotium formaretur, provisum est, ut peccator aperiret innocentibus, ne innocentes clauderent contra peccatores, et quae necessaria est unitas esse non posset.„

Primatus romanus principium romanae unitatis.

Optatus cum Paciano.

Hoc idem ergo de quovis Petri successore repetendum est, propterea praestare eum omnibus reliquis pastoribus clavesque tenere ecclesiae universae, ut per ipsum in ecclesia universa negotium unitatis formetur. Scilicet romanae ecclesiae praesules sicut jure divino Petri successores exsistunt personamque Petri continuo repraesentant; ita singuli quique non secus ac Petrus ipse ecclesiastici aedificii [2] petra, fundamentum, atque crepido con-

---

dimanat, quo romani episcopi Petro succedere creduntur. Hunc eumdem fontem institutionis Christi jurisque divini patefaciunt tum pleraque omnia veterum testimonia, quibus romani episcopi successores Petri declarantur: tum ecclesiasticae definitiones, quas inter florentina excellit. Tandem romani episcopi Petro succedunt jure omnibus ecclesiae canonibus vetustiore; quum quotquot sunt canones hanc successionem institutam revereantur, non instituant. Reliquum est igitur, ut hoc successionis jus divinum censeatur.

[1] De schism. donat. con. Parmen. l. VII. c. 3. coll. l. II. c. 2. Cypr. l. de eccl. unit. et ep. LXX. LXXIII. Hieron. con. Jovin. l. I. n. 26. et con. Lucif. n. 9. Pacian. ep. III. cuius haec sunt verba luculentissima: „Ipso referente Matthaeo paulo superius ad Petrum locutus est Dominus, ad unum ideo, ut unitatem formaret ex uno.„

[2] Hinc illud apud Patres receptissimum: romanos Pontifices aeque ac Petrum dici et esse ecclesiastici aedificii petram et fundamentum. Certe Augustinus in Ps. contra partem Donati recensitis romanae sedis Pontificibus, qui Petro successerunt, addidit: „Ipsa est petra, quam non vincunt superbae inferorum portae.„ Et Leo serm. 5. al. 4. in anniv. assumpt. suae cap. 4. „Soliditas enim illa, quam de petra Christo etiam ipse (Petrus) petra factus accepit, in suos quoque se transfundit heredes.„ Et ante Leonem Bonifacius I. epist. 4. ad Rufum thessalonicensem n. 1: „Quam (romanam sedem) constat dignatione petrae spiritalis elatam.„ Hinc Bossuetus in serm. ad comitia cleri gallic. an. 1681 tamquam fidei dogma asseruit: „Petrum in suis

Bossuet.

stituuntur: et quemadmodum ille ipsorum Apostolorum caput [1] et vertex [2] fuit; ita isti similiter eumdem apostolicum principatum nacti centrum principiumque [3] exsistunt efficiens tum unitatis symbolicae tum socialis communionis omnium cum suis gregibus pastorum adeoque totius ecclesiae catholicae.

CAPUT IV.

De romanae unitatis oeconomia.

I. *Unitas episcopatus episcoporum.*

148. Ex iis quae superiori capite praestituta fuerunt, universa catholicae romanaeque ecclesiae *οἰκονομία* sive regiminis ratio ac forma atque hierarchica administrationis subordinatio praeclare colligitur.

Cyprianus. Rem declarat Cyprianus [4] de unitate ecclesiae. Enarrata institutione primatus Petri illiusque vi ac fine explicato pergit: „Qui

successoribus semper esse petram et fundamentum fidelium.„ Patres vero ad illa comitia coacti in litteris sequentis anni 1682 ad universos ecclesiae gallicanae praesules datis romanum Pontificem tunc temporis viventem „ecclesiae petram„ nuncupant. Hinc demum persuasio illa certissima, non aliam a romanis Pontificibus fidei doctrinam evulgari, nisi quam iidem a Petro acceperint, et non interrupta succesione inviolatam servarint. Hoc romanorum Pontificum peculiare decus a Vincentio lirinensi in comm. n. 6. asseritur: hoc ab Augustino lib. 1. in Julianum n. 13. affirmante „Innocentium non aliud africanis respondere potuisse, nisi quod antiquitus apostolica sedes et romana cum ceteris tenet perseveranter ecclesiis:„ hoc ab Hieronymo, qui „fidem apostolico ore laudatam„ se consuluisse affirmavit, quum Damasum in quaestione de hypostasibus consuluit: et hoc vel ab ipso Pelagio exploratissima rei veritas extorsit, ut in ipsius libello fidei videre est. Sed de his cf. insuper quae Aug. habet ss. L. sqq. et s. CLXIX. ap. Mai N. PP. Bib. tom. I. adiectasque eminentissimi editoris adnotationes.

[1] Cf. Optat. de schism. donat. l. II. §. 2. coll. Hieron. con. Jovin. et aliis non raro.

[2] Cf. Epp. afric. ad Theodor. pont. ep. lecta in lat. syn. sub. Mart. I. act. II. aliaque superius adducta.

[3] Cf. Siric. ad epp. afric. ep. data anno 386. Innocent. I. ad Victric. rotom. anno 404. et ad epp. carthag. anno 417. Coelestin. ad cler. et popul. constantin. ep. 17. Ambros. de inc. c. V. Theodoret. in Ps. 47. et aliis omissis Maxim. ep. ad Petr. illustr. Videsis Petr. Ballerin. de vi ac rat. primat. c. X. Gerdil. opusc. IV. ad hier. eccl. constit. pertinente opp. t. XI. pp. 103 sqq.

[4] P. 195. ed. Paris. 1726.

ecclesiae renititur et resistit, qui cathedram Petri, super quem fundata est ecclesia deserit, in ecclesia se esse confidit? quando et beatus Apostolus Paulus hoc idem doceat, et sacramentum unitatis ostendat [1] dicens: Unum corpus et unus spiritus, una spes vocationis vestrae, unus Dominus, una fides, unum baptisma, unus Deus. Quam unitatem firmiter tenere et vindicare debemus, maxime episcopi, qui in ecclesia praesidemus, ut episcopatum quoque ipsum unum atque indivisum probemus. Nemo fraternitatem mendacio fallat, nemo fidei veritatem perfida praevaricatione corrumpat. Episcopatus unus est, cujus a singulis in solidum pars tenetur. Ecclesia quoque una est, quae in multitudinem latius incremento foecunditatis extenditur. Quomodo solis multi radii, sed lumen unum, et rami arboris multi, sed robur unum tenaci radice fundatum, et cum de fonte uno rivi plurimi defluunt, numerositas licet diffusa videatur exundantis copiae largitate, unitas tamen servatur in origine. Avelle radium solis a corpore, divisionem lucis unitas non capit. Ab arbore frange ramum, fractus germinare non poterit. A fonte praecide rivum, praecisus arescit. Sic et ecclesia Domini luce perfusa per orbem totum radios suos porrigit. Unum tamen lumen est, quod ubique diffunditur, nec unitas corporis separatur. Ramos suos in universam terram copia ubertatis extendit, profluentes largiter rivos latius expandit. Unum tamen caput est et origo una et una mater foecunditatis successibus copiosa.„ *Primatus romani finis.*

Scilicet episcopatus unus est non secus ac ecclesia est una; ac proinde pars episcopatus in solidum tenetur ab unoquoque, quatenus ut idem Cyprianus loquitur [2] „portio gregis singulis pastoribus„ adscribitur, quae totius ecclesiae pars est. Neque hac gregum partitione episcopatus unitas evertitur, nam romanus Pontifex Petri successor, etsi tamquam episcopus particularem romanum gregem moderetur, qui item catholicae ecclesiae pars est; nihilominus cum ex primatu, quo toti ecclesiae praesidet, unitatis totius ecclesiae centrum et origo sit: in eo particulari romano episcopatu, cui ob ecclesiae unitatem primatus ipse alligatus fuit, eam episcopatus partem tenet, in quam veluti in centrum ceteri omnes episcopi cum suis quique gregibus ita confluunt, ut ex *Episcopi particulares.*

[1] Ephes. IV.
[2] Epist. 55.

universis istis partibus mutuo connexis ecclesiam unam, unumque episcopatum efforment. Atque hanc esse Cypriani mentem, quas ibidem similitudines usurpat, aptissime declarant. Vult enim ita ecclesiam esse unam atque unum episcopatum, quemadmodum et una est arbor licet plurimis distincta ramis, et unus est fons licet plures ex eo rivi dimanent. Atqui non aliunde derivandam monet arboris unitatem nisi ex unitate radicis, qua partes omnes aluntur et sustentantur, et cui eaedem adhaerescunt; neque aliunde repetendam scribit fontis unitatem, nisi ex unitate „quae servatur in origine.„ Ergo eatenus ex multis episcopis episcopatum unum, et ex multis ipsorum gregibus atque particularibus ecclesiis unam constitui ecclesiam docet, quatenus in romano Pontifice veluti in centro et origine omnes episcopi cum suis gregibus coadunantur.

Ἀνακεφαλαίωσις. Hinc est quod [1] idem Cyprianus vocat romanam ecclesiam „catholicae ecclesiae radicem et matricem„, in qua et per quam episcopatus quamvis ad episcoporum multitudinem protensus unus manet atque indivisus. Cum illa et ex illa omnes cohaerent atque vinciuntur: in illa et per illam ab unitatis origine ac radice profecti omnes ad unitatis principium revocantur, ab illa uti a centro pendent, et circa eamdem veluti circa centrum collecti sistuntur, ita ut, si imaginem ex astronomia petitam continuare licet, nisi vi centripeta in illam ferantur, vi centrifuga abrepti extra ordinem statutum vagentur ipsi unaque cum ipsis porro sui greges vagentur atque aliorum ordinem nefarie perturbent necesse sit. Petri ergo successor est cum beatissima illa sua romanae urbis ecclesia verissimo sensu totius episcopatus cum tota fidelium summa, omniumque adeo episcoporum cum suis credentibus *ἀνακεφαλαίωσις* [2], supremus gubernator et rector.

II. *Unitas cathedrae doctorum.*

149. Quam oeconomiae speciem neque minus perspicue neque *Optatus.* diserte minus proponit [3] Optatus milevitanus cum hoc dumtaxat discrimine, ut quod apud Cyprianum episcopatus est, ipsi cathe-

---

[1] Epist. 45.

[2] Recapitulatio, quae non rhetorica tantum atque grammatica, sed quae realis et ontologica potius sit, continetur rei ad suum caput revocatione eiusdemque contractione ac collectione in uno veluti fastigio ac centro.

[3] De schism. donat. l. II. nn. 2 sqq.

dra [1] sit. Unam enim cathedram in ecclesia esse dicit, non secus ac Cyprianus unum asseruit episcopatum: illamque in urbe

---

[1] Explicasse juverit, quaenam significandi potestas cathedrae atque *Θρόνου* nomini ex latinis graecisque subsit; id enim ad Optati aliorumque Patrum declarandam sententiam haud parum valebit. Quod igitur omissis aliis vulgatissimis cathedrae significationibus apud profanos in usu erat, ut cathedra de sellis magistrorum professorumque non modo, verum etiam de ipso magistrorum munere diceretur; idem ratione multo praestantiori apud sacros ecclesiasticosque scriptores invaluit. Itaque a) cathedrae, *θρόνου*, nomine haud raro significatur tum sella tum auctoritas et munus episcopi: ap. Theophil. com. in Marc. c. X. *κἂν πολλαχοῦ τῆς γραφῆς καθέδραν ἀκούῃς, μὴ καθέδραν νοεῖ, ἀλλὰ τιμὴν ὑπερβάλλουσαν;* hinc autem b) metonymia ulterius protensa ipsum denotat episcopatum ap. Sidon. concion. post ep. 9. l. VII., ap. Gregor. turon. h. l. III. c. 1. et apud alios frequenter in his geminisque phrasibus „ad cathedram alicujus urbis ascendere, ad cathedram eligi, cathedram tenere„: quo etiam illud spectat in Martyrologiis „cathedra sancti Petri„ i. e. Petri episcopatus. Sed quum e cathedra doceatur, et episcopatus pro suo munere auctoritateque sua sit gregem Domini pascere atque docere, ideo est, quod c) cathedrae nomine passim ipsa etiam doctrina veniat. Hoc sensu cathedrae appellatio ad ecclesiam transiit ex Hebraeis ac praesertim ex evangelico textu Matth. 23. ubi Moysis cathedra memoratur, ex qua scribae et pharisaei legem explicabant. Hic autem cathedra Moysis non materialis aliqua cathedra, cui Moyses quondam insedisset, significatur, sed doctrina legis mosaicae, quam scribae quoque et pharisaei docebant. Neque istud sine tabulis et testibus asserimus, sed potius vades habemus praestantissimos Hieronymum lib. 3. in Matth. scribentem: „Per cathedram doctrinam legis intelligit„, et Athanasium, qui in exposit. Ps. 1. ad illa verba: „Et cathedram pestilentiae„ ait: „Per cathedram doctrinam significat, ut ipse ait: super cathedram Moysis.„ Quare gemino sensu apud Patres cathedra sive episcopalis, sive pontificia passim nihil praeterea innuit, quam doctrinam legis et fidei christianae ab episcopis et Pontificibus traditam. Hinc Hieronymus epist. 15. ad Damasum „cathedram Petri et fidem apostolico ore laudatam„ promiscue usurpat; et epist. 97. al. 78. ad Pammachium „praedicationem cathedrae Marci„ nominat paschalem epistolam Theophili alexandrini, in qua contra errores Origenis catholica fides explicabatur; et similiter „praedicationem cathedrae Petri„ vocat Anastasii Papae litteras, quibus eam epistolam ab hoc Pontifice confirmandam postulabat: „Praedicationem cathedrae Marci evangelistae cathedra Petri Apostoli sui praedicatione confirmet.„ Eodem pacto Rufinus in epist. ad Gaudentium episcopum interpretationi recognitionum praefixa „docendi cathedram„ appellat, et successorem in cathedra Petri „doctrinae ipsius successorem„ dicit. Augustinus epist. 105. n. 16. „doctrinae salutaris cathedram„ nominat, et Bachiarius scriptor saec. IV. in apologia seu libello fidei edito primum a Muratorio tom. 2. anecdott., dein a Francisco Florio in Bachiarii opusculis „cathedram Petri„ interpretatur „hoc est, sedem fidei.„ Tandem quum Fulgentius in lib. de Trinit. ad Felicem Nolanum illam fidem memorat „quae usque nunc per successionum seriem in cathedra Petri Apostoli Romae vel Antiochiae, in cathedra Marci evangelistae in Alexandria, in cathedra Joannis evangelistae Ephesi, in cathedra Jacobi Hierosolymae ab ipsarum episcopis praedicatur„

Roma ab Apostolorum principe fuisse fundatam, „in qua una cathedra unitas ab omnibus servaretur, nec ceteri Apostoli singulas sibi quisque defenderent; ut jam schismaticus et peccator esset, qui contra singularem cathedram alteram collocaret.„ Atqui jure potiori de habitu episcoporum ad Petri successores valet, quod Optatus de Apostolorum ad Petri unicam cathedram dixit. Cujus „unicae cathedrae„ praesules juxta seriem non interpollatam illico recenset. Unus igitur christianus est grex, qui per unam cathedram doctrina pascitur: quum autem pastores sint multi, ut erant plures Apostoli, omnes pendent ex singulari romana Petri cathedra, in qua unitas servatur, nec cuipiam licet [1] cathedram sibi vindicare ab illa divisam.

Doctores particulares.

Quod Optatus alia quidem ac Cyprianus, sed non minus perspicua similitudine continuo declarat: „Ecclesias, inquit, ita sibi connexas et individuas esse, ut intelligatur unam ab altera separari non posse. Etenim numerantur in nomine [2], sed uno intellectu suo junguntur in corpore: ut in manu digiti, quos intervallis singulos videmus esse distinctos. Unde qui tenet unum, totos teneat necesse est, quum unusquisque a paribus separari non possit.„ Graphica plane descriptio oeconomiae episcopatus catholici: Unitas ejus quae est unitas cathedrae expressa veluti est ad unitatem manus; plures ex illa protenduntur digiti, qui licet distincti disjunctique inter se, nectuntur tamen vinciunturque ex manu atque per manum ita, ut avellere unum nequeas, quin omnes afficias ac prope affligas inflicto vulnere manui, cui inserti et quacum illi omnes et singuli conserti perfectae manus unitatem absolvunt. Ita ex milevitano unitas cathedrae: distinctae dispersae-

Episcoporum doctorumque vinculum.

---

cathedrae nomen ad fidem ab episcopis traditam refert evidentissime. Quando ergo majores praecipiunt unionem cum cathedra Petri, proprie significant unionem cum doctrina fidei, quae a romanis Pontificibus Petri successoribus praedicatur; et quotquot patres unitatem cum hac cathedra necessariam affirmarunt, unitatem cum fide ab ipsis tradita docuerunt necessariam.

[1] Haec romanae unitatis vis atque necessitas adeo in antiquitate universa erat omnibus explorata, ut donatistae ad se tuendos fraude doloque malo illam sibi vindicare attentarent teste etiam Optato (l. c.): „Sed et habere vos in urbe Roma partem aliquam dicitis, ramus est vestri erroris, protentus de mendacio, non de radice veritatis„: id enim ab illis attentatum fuisse iam monuimus.

[2] Alia enim dicitur ecclesia ephesina, alia corinthiaca, alia smyrnensis et ita porro.

que per orbem magno numero exsistunt episcopalis cathedrae doctores et pastores: junguntur tamen atque cohaerent in una romana perque romanam Petri cathedram, cui innixae insertaeque omnes ac singulae, quaeque avelli ab invicem nequeunt, nisi basi ipsa ipsaque crepidine eversa atque destructa. At enimvero contra petram illam ne infernae quidem portae praevalebunt!

Episcopus et episcopi. Doctoratus et doctores. Pastoratus et pastores.

150. E quibus liquet ad rationem oeconomiae catholicae itidemque romanae quod spectat, distinguendum esse episcopatum inter et inter episcopos, doctoratus et doctores, pastoratus ac pastores. Ille unitate excellit: hi vero multitudinem constituunt. Ne tamen illius unitatis rationibus ac finibus hi multi obsint, sed potius respondeant, romani antistitis praerogativa efficitur: ea namque fit ut unus ex ordine episcoporum reliquis [1] praesit, ut unus sit omnium caput supremum, ut ab uno reliqui omnes dependeant.

Potestas ordinis et regiminis.

Leo M.

Praeclare Leo [2]: „Haec connexio totius quidem corporis unanimitatem requirit, sed praecipue exigit concordiam sacerdotum, quibus cum dignitas sit communis, non est tamen ordo [3] generalis: quoniam et inter beatissimos Apostolos in similitudine honoris fuit quaedam discretio potestatis, et cum omnium par esset electio, uni tamen datum est ut caeteris [4] praeemineret. De qua forma quoque episcoporum est orta distinctio, et magna ordinatione provisum est, ne omnes sibi omnia vindicarent, sed essent in singulis provinciis singuli, quorum inter fratres haberetur prima sen-

---

[1] Voluit ergo Christus quum unum institueret episcopatum, ut potestate ordinis pares essent episcopi omnes: potestate vero regiminis unus tamquam caput omnibus praeficeretur. Hinc Cyprianus in conc. carthag. coram episcopis octoginta septem: „Neque enim quispiam nostrum episcopum se esse episcoporum constituat, aut tyrranico terrore ad obsequendi necessitatem collegas suos adigat, quando habeat omnis episcopus pro licentia libertatis et potestatis suae arbitrium proprium, tamque judicari ab alio non possit, quam nec ipse potest alterum judicare.„ Nimirum non secus ac Apostoli seposito uno Petro omnes aequales erant, ita episcopi tamquam Apostolorum successores vi episcopalis ordinationis quam eamdem omnes perinde suscipiunt, parem aequalemque gradum consequuntur eademque episcopatus auctoritate ad eadem obeunda munia pollent: porro ut episcopatus ferat unitatis fructus eodem Cypriano teste ab una romana ecclesia episcopatus originem exordiumque ducit.

Cyprianus.

[2] Ad Anast. thessalon. ep. XII.

[3] Intelligit potestatis distinctionem non discrimen ordinis, quem communem esse significaverat.

[4] Gemina habet Isidor. hispal. ep. ad Eugen. tolet.

tentia; et rursus quidam in majoribus urbibus constituti sollicitudinem susciperent ampliorem, per quos ad unam Petri sedem universalis ecclesiae cura conflueret, et nihil usquam a suo capite dissideret.„

Johannes VIII. Neque aliter Johannes hoc nomine octavus [1]: „Ad auctorem romanae ecclesiae, hoc est, Apostolorum omnium principem, Domino loquente praeceptum est „pasce oves meas„: quem esse vere omnium ecclesiarum Dei caput, et beatorum Patrum praecipuae regulae, et orthodoxorum principum statuta declarant, et pietatis vestrae reverentissimi apices attestantur.„

III. *Unitas regiminis pastorum.*

151. Romanae ergo urbis praesul est universalis totius ecclesiae tam ovium quam agnorum pastor, doctor, episcopus. Ita rur-
Leo M. sum [2] Leo: „De toto mundo unus Petrus eligitur, qui et univer-
Pastores multi. sarum gentium vocationi et omnibus Apostolis cunctisque ecclesiae patribus praeponatur, ut quamvis in populo Dei multi sacerdotes sint multique pastores, omnes tamen proprie regat Petrus quos principaliter regit et Christus.„

Vinculum. Unde sicut singulae ecclesiae in unitate fidei communionisque continentur a suo praesule; ita omnes simul ecclesiae cum suis praesulibus in unitate ab urbis romanae antistite continentur: et quemadmodum in singulas ecclesias coelestia dona defluunt per manus particularium episcoporum; ita in universam ecclesiam bene-
Leo M. ficia divina redundant ab episcopo universali. Quod iterum [3] Leo affirmat: „Hujus muneris sacramentum ita Dominus ad omnium Apostolorum officium pertinere voluit, ut in beatissimo Petro Apostolorum omnium summo principaliter [4] collocarit, ut ab ipso quasi quodam capite dona sua velut in corpus diffunderet, ut exsortem se mysterii intelligeret esse divini, qui ausus fuisset a Petri soliditate recedere.„

---

[1] Ep. ad Basil. Constantin. et Alexand. imperat. an. 870.

[2] In die annivers. suae assumpt. ser. III. c. 2.

[3] Ad epp. provinc. vienn. ep. X.

[4] En apertam vocis „principaliter„ declarationem, quae cum iis omnino cohaeret quae de eadem ad locum Irenaei commentati superius sumus.

IV. *Unitas ovilis gregum.*

152. Verum quum inde ratio praeclare appareat, ob quam Petrus cum successoribus vocetur ac sit Christi in terris vicarius, qui partes illius visibiles expleat, et tamquam visibile caput in ordine externo atque visibili membra corporis omnia moderetur ac regat, sicut in ordine interno ac invisibili temperantur ab invisibili capite Christo: tum enimvero aperte colligitur necessitas, qua universi tam pastores quam greges singulares ad eumdem summum pastorem romanum referuntur. *Externa interna que unitas.*

„Quem in sua passione, ait [1] Augustinus, demonstravit ter negantem, resurgens tertio confirmavit amantem, fecitque eum [2] suarum ovium idoneum esse pastorem.„ Praeterea [3] idem: „In uno Petro inquit figurabatur unitas omnium pastorum.„ Quibuscum haec [4] rhemensis Hincmari conveniunt: „Beatus Petrus Apostolus, cujus vice in ecclesia funguntur Apostoli.„ Profecto tali oecumenico pastore constituto a quo subordinatione hierarchica omnes singulique pastores et greges, oves et agni penderent, fieri non potuit quin ecclesia Christi faciem rationemque unius universalis gregis [5] praeferret, quem ita unus supremus pasceret pastor, *Unus pastor supremus et universalis.* *Augustinus.* *Hincmarus.*

[1] Ap. Mai N. PP. Bib. t. I. p. 269. s. CXX. n. 7.

[2] Joh. XX. 17.

[3] Ser. CXVII. n. 2.

[4] Praef. capitul. ad archid.

[5] Praesto sunt luculentissima Christi verba Joan. 21, quae si ut par est intelligantur, id quod maxime volumus abunde conficiunt. Itaque 1) Christus Dominus Joan. 10. in haec verba pastoris et gregis parabolam conclusit: „Et alias oves habeo, quae non sunt ex hoc ovili: et illas oportet me adducere, et vocem meam audient, et fiet unum ovile et unus pastor.„ Atqui ad unitatem ecclesiae significandam haec Christum protulisse, et ex rei natura liquidum est, et ex PP. traditione certissimum. Iamvero 2) licet unus hic pastor Christus potissimum sit per Ezechielem promissus cap. 34. „Suscitabo super eos pastorem unum„, et rursus cap. 37. „Pastor erit unus omnium eorum„: nihilominus quia Christus ascendere tandem ad coelum debebat, conspicua ecclesiae unitas ad consummationem usque saeculi duratura exigebat, ut aliquis loco Christi sufficeretur, qui pastoris munere ad conservandam et tuendam ecclesiae unitatem fungeretur. Ergo debuit Christus non prius in coelum ascendere quam in unitatis bonum sibi totius ecclesiae pastorem suffecisset, ne secus ovilis unitas ab unitate pastoris indissociabilis miserrime labefactaretur. Non sibi defuit 3) aeterna genitoris imago, sed Joann. 21. Petrum in haec verba alloquens: „pasce agnos meos, pasce oves meas„ ipsum sui ovilis pastorem fecit, ipsique ovilis unitatem commendavit. *Ss. litterae.*

ut sine ipso neque pascere neque pasci aliquis posset, sub ipso alii pascerent, ab ipso omnes pascerentur.

Unus ovium omnium grex. Cyprianus.

153 Id significavit [1] Cyprianus ad Magnum scribens: „Ad quam unitatem redigens Christus ecclesiam, denuo dicit: et erit unus grex et unus pastor.„ Ergo ea est, Christo auctore, ecclesiae unitas ut ovilis atque pastoris unitatem expostulet. Idem

Augustinus.

significavit Augustinus [2]: „In ipso Petro unitatem commendavit. Multi erant Apostoli, et uni dicitur: pasce oves meas.„

Bernardus.

Apertius Bernardus [3]: „Pasce oves meas. Quas? illius vel illius populos civitatis aut regionis aut certi regni? Oves meas inquit; cui non planum non designasse aliquas, sed adsignasse omnes? Nihil excipitur, ubi distinguitur nihil. Et forte praesentes ceteri condiscipuli erant, cum committens uni unitatem commendaret in uno grege et in uno pastore.„ Licet ergo plures sint in ecclesia pastores, quorum curae Spiritus sanctus particularium gregum unitatem creditam voluit; unus tamen Petrus in se fuit et in successoribus romanis Pontificibus manet summus ille pastor, quem ad totius ecclesiae unitatem vindicandam atque tuendam omnibus non tam ovibus, quam pastoribus [4] praecipuo jure praelatum Christus instituit. Hinc concludit rursum [5] Bernardus: „Ubi unitas, ibi perfectio. Reliqui numeri perfectionem non habent, sed divisionem recedentem ab unitate: inde est quod alii (Apostoli) singuli singulas sortiti sunt plebes scientes sacramentum. Denique Jacobus, qui videbatur columna ecclesiae, una contentus est Hierosolyma, Petro universitatem cedens.„

---

[1] Ep. 76.

[2] Serm. 46. cap. 13. coll. s. Leo. s. IV. n. 3. ven. Beda h. in ss. Apost. Petr. et Paul.

[3] Lib. 2. de consid. cap. 8.

[4] Hinc Bruno astensis Hom. in vigilia s. Petri testatur, neminem non subdi Petri regimini; hinc Bernardus lib. 2. de consid. cap. 8. vocat romanum Pontificem „pastorem pastorum omnium„; hinc illa istis gemina, quae penes Epiphanium haeresi 75, et in reformatorio concilii constantiensis cap. 6. leguntur. Tanto hujus dogmatis splendore percitus Bossuetus in medit. super evangelium die 70. romanum Pontificem pastorem pastorum praedicavit, et in serm. habito ad cleri gallic. comitia an. 1681 praeterea advertit, eos „qui pastores sunt relate ad populum, relate ad Petrum oves esse„

[5] De considerat. l. II. c. 8.

V. *Unitas obedientiae necessariae ubique et semper.*

154. Inde autem apparet, unde majoribus non modo necessarium semper sed etiam pro certis rerum adjunctis visum fuerit sufficiens, summo omnium pastori cohaerere et ab ipso solo vel totum vel primum potissimumque pendere. Ita visum est in causa schismatis quod a Meletio nomen accepit [1] sancto Hieronymo: *Hieronymus.* Visum est [2] beato Augustino in causa Caeciliani carthaginiensis: *Augustinus.* visum est [3] sancto Maximo M. in causa Pyrrhi constantinopolitani *Maximus M.* quem admonitum vult, ut „festinet prae omnibus sedi romanae satisfacere. Hac enim satisfacta communiter ubique omnes pium hunc et orthodoxum praedicabunt. Si enim aliis quidem satisfaciendum ducit, et beatissimum romanum papam nequaquam implorat, simile quiddam agit ei qui forte homicidii vel alterius cujusdam criminis redarguatur, et insontem se non ei qui secundum leges judicandi jura sortitus est, exhibere festinat, sed tantum inutiliter et sine lucro aliis et privatis hominibus munditiam monstrare sui satagit actus, qui nullam habent se solvendi a crimine potestatem.„ Sed unde necessitas illa illaque sufficientia? „Quod apostolica sedes ab ipso incarnato Dei Verbo, sed et omnibus sanctis synodis, secundum sacros canones et terminos universarum quae in toto terrarum orbe sunt sanctarum Dei ecclesiarum in omnibus et per omnia percepit et habet imperium, auctoritatem et potestatem ligandi atque solvendi.„ Quam eamdem pariter praefatae necessitatis sufficientiaeque rationem significat Igna- *Ignatius constantinopolitanus.* tius constantinopolitanus [4] ita Nicolaum pontificem alloquens: „Ad artus humani corporis plagis vulneribusque saucios curandos, medendi ars magnam medicorum copiam suppeditavit; in membris autem Christi salvatoris omnium capitis (sed invisibilis) ac sponsi catholicae et apostolicae ecclesiae, unum tantum ac solum delectum ut universalissimum medicum, tuam nempe fraternam paternamque sanctitatem supremum et fortissimum Dei Verbum constituit, quum Petro τῷ τιμιωτάτῳ καὶ κορυφαιοτάτῳ τῶν ἀποστόλων dixit „tu es Petrus et super hanc petram aedificabo ecclesiam meam.„ Quorum verborum a quibus sententiae vis pen-

[1] Ep. ad Damas. an. 381. l. supra c. n. 72.
[2] Ep. XLIII. n. 7. l. jam c.
[3] Ep. ad Petrum illust.
[4] Ap. Labbé t. VIII. pp. 1009 sq.

Gregorius nyssenus. det, praeclarum commentarium praebet [1] nyssenus Gregorius: „Celebratur, inquit, Petri memoria, qui Apostolorum est caput, et una quidem cum ipso cetera ecclesiae membra glorificantur; Dei vero ecclesia in ipso solidatur. Hic enim iuxta praerogativam sibi a Domino concessam firma et solidissima petra est, supra quam Salvator ecclesiam aedificavit.„ Tum praebent sancti Jo-
Chrysostomus. hannis Chrysostomi [2] et sancti Johannis Damasceni [3] periphrases
Damascenus. variae ac multiplices quibus Petri principatum describunt. Et ille quidem describit Petrum uti fundamentum ecclesiae et verticem Apostolorum; et eius primatum uti principatum, eminentiam, atque honoris dignitatisque excellentiam: hic vero appellat Petrum modo praestantissimum, modo supremum verticem Apostolorum, modo novi testamenti fastigium, modo ecclesiae praesidem, modo ecclesiae toto orbe diffusae moderatorem, modo columnam, cui creditam voluit (Christus) ecclesiam, ecclesiarum columnam, fidei portum atque orbis magistrum.

VI. *Doctrinae capita secundum ecclesiae normam tenenda.*

155. Quae omnia si in summam contrahantur, liquido ostendunt, unanimem esse, constantem ac universalem majorum contestationem, quod ad ecclesiasticam regiminis oeconomiam attinet:

1. *Capita dogmatica.* I. voluisse Christum, ut semper in ecclesia sua praeter singulares episcopos a quibus singulares regerentur ecclesiae, unus

---

[1] In altera laudat. s. Stephani, ed. Mign. t. III. p. 734. C. *Μνημονεύεται Πέτρος ἡ κεφαλὴ τῶν ἀποστόλων καὶ συνδοξάζεται μὲν αὐτῷ τὰ λοιπὰ μέλη τῆς ἐκκλησίας· ἐπιστηρίζεται δὲ ἡ ἐκκλησία τοῦ Θεοῦ. Οὗτος γάρ ἐστι κατὰ τὴν δοθεῖσαν αὐτῷ παρὰ τοῦ κυρίου δωρεὰν ἡ ἀρραγὴς καὶ ὀχυρωτάτη πέτρα, ἐφ' ἣν τὴν ἐκκλησίαν ὁ σωτὴρ ᾠκοδόμησε.*

[2] In Matth. h. III. p. 42. Petrus vocatur *θεμέλιος τῆς ἐκκλησίας*: h. LIV. pp. 546 sq. perhibetur *ὁ τῶν ἀποστόλων κορυφαῖος*: h. L. p. 515. tribuitur illi *τὸ προτεῖον*: h. LVI. p. 566. eidem adscribitur *ἡ ὑπεροχή*: h. LVIII. p. 586. asseritur ei *τὸ ὑπερβάλλον τῆς τιμῆς*. cf. eumd. in Joh. h. LXXXVIII. et Theophylact. in Joh. XXI.

[3] Adv. nestorian. n. 19. t. I. p. 559. *ὁ πανάριστος Πέτρος ἡ κορυφαία τῶν ἀποστόλων ἀκρότης*: or. de glor. transfig. D. N. J. C. t. II. p. 791. *ὁ τῆς νέας διαθήκης κορυφαιότατος*: ib. p. 795. *τῆς ἐκκλησίας πρόεδρον*: ib. p. 802. *ἐκκλησίας παγκοσμίου κατέστησέ σε κοσμήτορα* (al. *δομήτορα*): sacr. parallel. p. 592. *Πέτρος ὁ στύλος:.. ὁ τὴν ἐκκλησίαν μέλλων πιστεύεσθαι, ὁ στύλος τῶν ἐκκλησιῶν, ὁ λιμὴν τῆς πίστεως: Πέτρος ὁ διδάσκαλος τῆς οἰκουμένης.* Cum his cf. quae Euseb. habet com. in Luc. c. V. 10. ap. Mai N. PP. Bib. t. I. pp. 160 sq.

ex eodem episcoporum ordine universalis pastor haberetur, cui universum dominicum ovile crederetur:

II. universalem hunc pastorem alium non esse ab episcopo romanae ecclesiae, quam rexit primus in pastorem oecumenicum ab ipso Christo electus [1] Petrus, cui deinde ex ordinatione divina insignes eadem praerogativa successere et ad fines usque saeculorum succedent ejusdem urbis antistites.

156. Qua tamen in re, ut suo superius [2] loco significavimus, duo distinguenda sedulo sunt, quae licet articulis illis non enuntientur, a viro tamen theologo requiruntur, ut rite eos explicet. Quum itaque finis instituti divinitus primatus sit ecclesiae unitas obtinenda maxime per unitatem socialem fidei et communionis; is autem durare continuo ad consummationem usque saeculi debeat: perpetuus quoque primatus in ecclesia persistat atque adeo iugiter a Petro ad successores dimanet necesse est. Sed quisque probe intelligit, aliud esse ius quo perpetua in primatu successio praefinitur, et aliud esse subiectum pactumque quo id fiat, atque aliam generatim esse conditionem qua primatus certa quadam episcoporum serie propagandus sit. Quo posito discrimine, ita universim statuendum videtur. Fixum et ratum est

I. ius perpetuae in primatu successionis divinum omnino esse verbisque Salvatoris Christi solemnissimis stabilitum. Ratum pariter est *Analysis theologica.*

II. perpetuae successionis conditionem qua ipsum definitur potestatis subjectum duplicem esse: 1) alteram qua determinatur certa quaedam episcoporum series, seu qua circumscribitur cathedra sedesque episcopalis, quacum primatus maneat perpetuo coniunctus: 2) et alteram qua determinantur singula quaeque seriei illius membra, seu qua singuli quique succedentes sibi episcopi ad fixam cathedram illam sedemque pastoralem provehantur. Jamvero

III. prior illa conditio quae semel ut aiunt pro semper posita

[1] Institutionem ipsaque primatus primordia dogmatice spectata habes ap. Car. Pass. de praerog. b. Pet. Ratisbon. 1850, spectatam historice ap. Dölling. Christenth. u. Kirch. Ratisb. 1860 pp. 30. 46. 49. 57. 62 sqq.

[2] N. 80.

expletaque est, immutabilem porro ecclesiae οἰκονομίαν ac constitutionem perfecit, et sita est in facto Petri, quo suum primatum cum romana cathedra vincivit ipsumque vinculum suo sanguine sacravit. Posterior autem conditio haec iteranda totiesque explenda est, quoties decessori alius episcopus gregis romani sufficiendus sit: expleri porro debet electione legitima, cuius ratio varia ex sese ac multiplex pro adiunctorum diversitate esse possit. Hinc

IV. utraque conditione altera apostolica ecclesiastica altera [1] posita, singuli quique romani antistites a Lino ad Pium IX. usque ac deinceps Petro successere atque succedent successione quae est juris divini: ideoque spectato adaequate successionis iure quo singuli Pontifices Petro in primatu succedunt, affirmandum est, ius illud bifariam patere, et formaliter quidem, ut aiunt, consideratum plane esse divinum, consideratum vero materialiter idem esse apostolico-ecclesiasticum. Unde spectato iure quo Petrus et quo eius successores in cathedra romana primatum tenent patet

V. hos cum illo convenire ab eoque discrepare. Conveniunt successores cum Petro spectata iuris forma, quum eadem Christi voluntate primatum perpetuent, qua Petrus eum inchoavit; sed discrepant ab illo spectata parte iuris materiali: 1) tum quod Petrus ab ipso Domino sit electus ac primatus potestate insignitus; eius vero successores ab hominibus designentur dumtaxat ad romanam cathedram primatus, quo porro divinitus augentur: tum 2) quod Petrus fuerit ipse cathedrae principalis fundator neminem sequens, reliqui vero ad finem usque saeculi sequantur omnes quidem maiori minorive intervallo principem Petrum, nemo tamen illum sequatur neque sequi eum possit in alia cathedra ab illa, quae primi illius, Petri inquam, sessione fixa determinataque fuit. Sed tandem

VI. quum alterius successor is vere proprieque dicatur et sit, qui in illius ministerium ac munus legitime sufficitur, hinc iisdem excellens iuribus eademque insignis potestate, inde iisdem adstrictus vinculis eodemque obligatus officio: quotiescunque de romani episcopi successione legitima constet sponte consequitur,

[1] Conditio apostolica pendet a facto Petri Apostoli: conditio ecclesiastica pendet ab electionis lege quam suprema ecclesiae potestas stabilivit.

iuribus potestateque Petri Apostolorum principis illum excellere, Petri pollere iuribus, sed Petri etiam officio ministerioque obstringi. Petrus autem vi ac titulo primatus, quo fuerat a Christo ornatus, supremus erat testis, universalis doctor et iudex, summus pastor, penes quem tota auctoritas docendi, et tota potestas legifera, iudicialis, poenalis. Iisdem ergo dotibus successores eius excellant oportet. Atqui haec sunt quae normae authenticae de romanis praesulibus credenda tenendaque praecipiunt.

157. Haec enim doctrinae capita neque libera neque utcunque vera et certa haberi possunt vel debent, sed rata fixaque sunt tum ex constanti universalique ecclesiae doctrina quam oculis subiecimus, tum iis normis, a quibus catholica sentiendi agendique ratio omnis pendet. Ejusmodi autem norma I. proposita fuit in synodis. *Concilia.*

Huc sane faciunt quae sancita leguntur [1] in concilio lateranensi IV: „Antiqua patriarchalium sedium privilegia renovantes, sancta universali synodo approbante, sancimus, ut post romanam ecclesiam, quae disponente Domino super omnes alias ordinariae potestatis obtinet principatum, utpote mater universorum Christi fidelium et magistra, constantinopolitana primum, alexandrina secundum, antiochena tertium, hierosolymitana quartum locum obtineat.„ *Concilium lateranense.*

Huc faciunt quae leguntur [2] in confessione fidei oblata Gregorio X. in lugdunensi concilio: „Ipsa quoque sancta romana ecclesia summum et plenum primatum et principatum super universam ecclesiam catholicam obtinet; quem se ab ipso Domino in beato Petro Apostolorum principe sive vertice, cujus romanus pontifex est successor, cum potestatis plenitudine recepisse veraciter et humiliter recognoscit.„ *Concilium lugdunense.*

Huc pertinent quae complectitur definitio fidei [3] concilii florentini: „Item diffinimus sanctam apostolicam sedem, et roma- *Concilium florentinum.*

---

[1] C. V. de privilegiis sedium patriarchalium. An. 1215.

[2] Confessio fidei Michaelis Palaeologi, ipsi a Clemente IV. a. 1267 proposita et ab ipso in concilio oecumenico lugdunensi II. 1274 Gregorio X. oblata.

[3] Videsis decretum unionis Graecorum in Bulla Eugenii IV. „Laetentur coeli.„

num Pontificem, in universum orbem tenere primatum, et ipsum Pontificem romanum successorem esse beati Petri principis Apostolorum, et verum Christi vicarium, totiusque ecclesiae caput et omnium Christianorum patrem ac doctorem exsistere; et ipsi in beato Petro pascendi, regendi ac gubernandi universalem ecclesiam a Domino nostro Jesu Christo plenam potestatem traditam esse; quemadmodum etiam in gestis oecumenicorum conciliorum, et in sacris canonibus continetur.„

Concilium tridentinum.

Huc plura spectant quae sparsim recurrunt in concilio tridentino, quaeque ad hanc summam redeunt: 1) romana ecclesia ecclesiarum omnium mater ac magistra [1] salutatur: 2) adscribitur romano Pontifici tum suprema [2] potestas, tum universalis ecclesiae [3] administratio: 3) indicitur [4] patriarchis, primatibus, archiepiscopis, episcopis ut veram summo Pontifici obedientiam spondeant et profiteantur: 4) asseritur romano Pontifici [5] universalis ecclesiae auctoritas: 5) tum potestas [6] oecumenicas synodos convocandi et confirmandi, dubitationesque si quae oriantur expediendi: 6) prospiciendi commodis [7] totius ecclesiae: 7) singulis ecclesiis [8] assignandi pastores gravioresque eorum causas [9] dirimendi: atque 8) jus [10] pro suprema potestate sibi in ecclesia universa tradita graviorum criminum causas suo judicio reservandi.

At enimvero quid est quod superius affirmavimus quodque hac solemnissima ecclesiae norma diverse expressum ac sancitum non reperiatur?

Pontifices.

158. Sed accedit II. altera itidemque luculentissima regula quae in eorum ipsorum, quibus summam modo vindicavimus auctoritatem, summorum, inquam, Pontificum definitionibus ac declarationibus sita est.

[1] Sess. VII. can. 3. sess. XXII. cap. 8. sess. XXV. continuat. de delectu cib. jejun. et dieb. fest.

[2] Sess. XIV. cap. 7.

[3] Sess. XXV. c. 1. decret. de reform.

[4] Ibid. c. 2.

[5] Sess. XXV. c. 21. coll. ibid. de recipiend. et observand. decret. concil.

[6] Ibidem de recip. et observ. decr. conc. deque fine concil. et confirmat. petenda a SS. D. N.

[7] Ibid. coll. sess. XXIV. c. 1. de reform.

[8] Sess. VI. c. 1.

[9] Sess. XIII. c. 8.

[10] Sess. XIV. c. 7.

Ejusmodi regulam proposuit 1) Gelasius I.[1] his omnino verbis: „Post has omnes propheticas, evangelicas atque apostolicas scripturas, quibus ecclesia catholica per gratiam Dei fundata est, illud etiam intimandum putamus, quod quamvis universae per orbem catholicae ecclesiae unus thalamus Christi sit, sancta tamen romana, catholica et apostolica ecclesia nullis synodicis constitutis caeteris ecclesiis praelata est, sed evangelica voce Domini et Salvatoris nostri primatum obtinuit: Tu es Petrus, inquientis, et super hanc petram aedificabo ecclesiam meam et portae inferi non praevalebunt adversus eam, et tibi dabo claves regni coelorum, et quaecunque ligaveris super terram, erunt ligata et in coelo, et quaecunque solveris super terram, erunt soluta et in coelo. Cui addita est etiam societas beatissimi Pauli Apostoli, vasis electionis, qui non diverso, sicut haeretici garriunt, sed uno tempore, uno eodemque die gloriosa morte cum Petro in urbe Roma sub Caesare Nerone agonizans coronatus est; et pariter supradictam sanctam romanam ecclesiam Christo Domino consecrarunt aliisque omnibus in universo mundo sua praesentia atque venerando triumpho praetulerunt. Est ergo prima Petri Apostoli sedes, romana ecclesia, non habens maculam, neque rugam nec aliquid hujusmodi.„ *Decretum Gelasii.*

Regulam similem 2) Hormisdas[2] proposuit: „Prima salus est regulam rectae fidei custodire et a constitutis patrum nullatenus deviare. Et quia non potest Domini nostri J. Ch. praetermitti sententia dicentis: Tu es Petrus etc. Haec quae dicta sunt rerum probantur effectibus, quia in sede apostolica immaculata est semper servata religio. Ab hac ergo spe et fide separari minime cupientes et patrum sequentes in omnibus constituta, anathematizamus omnes haereticos, praecipue Nestorium haereticum, qui quondam constantinopolitanae fuit urbis episcopus, damnatus in concilio ephesino a Caelestino papa urbis Romae et a sancto Cyrillo alexandrinae civitatis antistite. Una cum ipso anathematizantes Eutychetem et Dioscorum alexandrinum in sancta synodo, *Hormisdae formula.*

[1] In syn. rom. 494.

[2] Formula ab Hormisda Pontifice episcopis orientis, qui schismatis acaciani participes fuerant, praescripta. Haec fidei regula ab omnibus orientis episcopis subscripta est, ab imperatore Justiniano patriarchisque constantinopolitanis Epiphanio, Joanne et Menna, denique in VIII. synodo oecumenica act. 1. a patribus graecis et latinis.

quam sequimur et amplectimur, chalcedonensi damnatos. His Timotheum adjicientes parricidam, Aelurum cognomento, et discipulum quoque ejus atque sequacem Petrum vel Acacium qui in eorum communionis societate permansit; quia quorum se communioni miscuit, illorum similem meruit in damnatione sententiam. Petrum nihilominus antiochenum damnantes cum sequacibus suis et omnium suprascriptorum. Quapropter suscipimus et approbamus omnes epistolas Leonis papae universas, quas de religione christiana conscripsit. Unde sicut praediximus, sequentes in omnibus apostolicam sedem et praedicantes ejus omnia constituta, spero ut in una communione vobiscum, quam sedes apostolica praedicat, esse merear, in qua est integra et verax christianae religionis soliditas. Promittens etiam sequestratos a communione ecclesiae catholicae, i. e. non consentientes sedi [1] apostolicae, eorum nomina inter sacra non esse recitanda mysteria. Hanc autem professionem meam manu propria subscripsi et tibi Hormisdae sancto et venerabili Papae urbis Romae obtuli.„

Formula Nicolai I.

Proposuit [2] similiter 3) Nicolaus I. Michaeli imperatori: „Porro si nos non audieritis, restat, ut sitis apud nos necessario, quales Dominus noster Jesus Christus hos haberi praecepit, qui ecclesiam Dei audire contempserint, praesertim cum ecclesiae romanae privilegia, Christi ore in beato Petro firmata, in ecclesia ipsa disposita, antiquitus observata et a sanctis universalibus synodis celebrata atque a cuncta ecclesia jugiter venerata, nullatenus possint minui, nullatenus infringi, nullatenus commutari, quoniam fundamentum, quod Deus posuit, humanus non valet amovere conatus, et quod Deus statuit, firmum validumque consistit.... Ista igitur privilegia hujus sanctae ecclesiae a Christo donata, a synodis non donata, sed jam solummodo celebrata et venerata.„

Formula Leonis IX.

Proposuit 4) Leo IX. epistola [3] ad Michaelem Cerularium et Leonem Acridanum: „Sancta ecclesia super petram, i. e. Christum, et super Petrum vel Cepham, filium Joannis, qui prius Simon dicebatur, aedificata, quia inferi portis, disputationibus scilicet

---

[1] Romanae quae κατ' ἐξοχὴν apostolica dicitur et una solaque apostolica superest.

[2] Anno 865.

[3] Cap. 7.

haereticorum, quae vanos ad interitum introducunt, nullatenus foret superanda, sic pollicetur ipsa veritas, per quam sunt vera, quaecunque sunt vera. Portae inferi non praevalebunt adversus eam. Cujus promissionis effectum se precibus impetrasse a Patre idem Filius protestatur, dicendo ad Petrum: Simon, ecce satanas etc. Erit quisquam tantae dementiae, qui orationem illius, cujus velle est posse, audeat in aliquo vacuam putare? Nonne a sede principis Apostolorum, romana videlicet ecclesia, tam per eumdem Petrum, quam per successores suos, reprobata et convicta atque expugnata sunt omnium haereticorum commenta et fratrum corda in fide Petri, quae hactenus nec defecit, nec usque in finem deficiet, sunt confirmata?„

Fidei formula Pii IV.

5) Proposuit [1] Pius IV. in praescripta fidei formula: „Sanctam catholicam et Apostolicam romanam ecclesiam omnium ecclesiarum matrem et magistram agnosco romanoque Pontifici beati Petri Apostolorum principis successori ac Jesu Christi vicario veram obedientiam spondeo ac juro.„

Professio fidei a Gregorio XIII. exhibita.

6) Proposuit [2] graecis Gregorius XIII.: „Item sanctam apostolicam sedem, et romanum Pontificem in universum orbem tenere primatum, et ipsum Pontificem romanum successorem esse beati Petri principis Apostolorum, et verum Christi vicarium, totiusque ecclesiae caput, et omnium christianorum patrem ac doctorem existere, et ipsi in beato Petro pascendi, regendi et gubernandi universalem Ecclesiam a Domino nostro Jesu Christo plenam potestatem traditam esse, quemadmodum etiam in actis oecumenicorum conciliorum et in sacris canonibus continetur. Insuper profiteor ac recipio alia omnia, quae ex decretis sacrae oecumenicae generalis synodi tridentinae, sacrosancta romana et apostolica ecclesia, etiam ultra contenta in supradictis fidei symbolis, profitenda ac recipienda proposuit atque praescripsit, ut sequitur.„

Repetita ab Urbano VIII. et Benedicto XIV.

7) Proposuerunt [3] Urbanus VIII. et Benedictus XIV. orien-

[1] Professio fidei tridentina a Pio IV. per constitutionem „Injunctum nobis„ 18. Nov. 1564. ex decreto tridentino sess. 24. cap. 13. de reform. et sess. 25. cap. 2. de reform. praescripta.

[2] Professio fidei graecis praescripta a Gregorio XIII. per constitutionem „Sanctissimus Dominus noster.„

[3] Prof. fid. orientalibus praescripta ab Urbano VIII. et Benedicto XIV. per constitutionem 79. „Nuper ad nos.„

talibus: „Item sanctam apostolicam sedem et romanum Pontificem in universum orbem tenere primatum, et ipsum Pontificem romanum successorem esse beati Petri principis Apostolorum, et verum Christi vicarium, totiusque ecclesiae caput, ac omnium christianorum patrem, ac doctorem existere, et ipsi in beato Petro pascendi, regendi et gubernandi universalem ecclesiam a Domino nostra Jesu Christo plenam potestatem traditam esse, quemadmodum etiam, ut eadem florentina synodus asserit, in gestis oecumenicorum conciliorum et in sacris canonibus continetur.„

Quae omnia simul accepta ad rem confirmandam illustriora disertioraque esse nequeunt.

2. Errores reiecti.

159. Hinc III. sequuntur decreta constitutionesque eorumdem Pontificum quibus eos profligarunt, qui hanc ipsorum auctoritatem infringere ausi fuissent.

A Stephano I.

Tale decretum 1) illud jam est [1] quod tulit Stephanus I. adversus rebaptizantes: „In eadem epistola de episcopatus sui loco gloriabatur et se successionem Petri tenere contendebat, super quem fundamenta ecclesiae collocata sunt, episcopum se esse episcoporum constituebat. Ita Cyprianus et Firmilianus.„

A Nicolao I.

Tale 2) est decretum [2] Nicolai I. quo statuit: „Si quis dogmata, mandata, interdicta, sanctiones vel decreta pro catholicae fidei disciplina, pro correctione fidelium, pro emendatione sceleratorum vel interdictione imminentium vel futurorum malorum a sedis apostolicae praesule salubriter promulgata contempserit, anathema sit.„

A Joanne XXII.

Talis constitutio 3) profecta [3] est a Joanne XXII.: „Praedicti (fraticelli) temeritatis atque impietatis filii, ut habet fide digna relatio, ad eam sunt mentis inopiam devoluti, quod adversus praeclarissimam et saluberrimam christianae fidei veritatem impie sentiunt, sacramenta ecclesiae veneranda contemnunt et in religiosum

---

[1] Cf. Stephani I. decret. con. rebaptizantes ap. Denzing. enchir. symb. et definitt. ed. 1856. p. 9. Apud eumdem continentur pleraque omnia quae praeterea adduximus et adducemus.

[2] In syn. rom. an. 863. can. 5.

[3] Errores fraticellorum damnati a Joanne XXII. constitutione edita a. 1318.

ecclesiae romanae primatum, cunctis nationibus percolendum, impetu caeci furoris impingunt.„

Talia decreta rursum 4) illa [1] sunt Martini V. et concilii constantiensis, quibus Wikleffi articulos [2] damnarunt: „Ecclesia romana est synagoga satanae, nec Papa est proximus et immediatus Vicarius Christi et Apostolorum.„ „Non est de necessitate salutis credere, romanam ecclesiam esse supremam inter alias ecclesias.„ *A Martino V.*

Et illa pariter 5) quibus [3] damnarunt articulos [4] Joannis Huss: „Petrus non est, nec fuit caput ecclesiae sanctae catholicae.„ Papalis dignitas a Caesare inolevit, et Papae perfectio et institutio a Caesaris potentia emanavit.„ „Nullus sine revelatione assereret rationabiliter de se vel alio, quod esset caput ecclesiae particularis, nec romanus Pontifex est caput romanae ecclesiae particularis.„ „Non oportet credere, quod iste quicunque est romanus Pontifex sit caput cujuscunque particularis ecclesiae sanctae, nisi Deus eum praedestinavit.„ „Nemo gerit vicem Christi vel Petri, nisi sequatur eum in moribus, cum nulla alia sequela sit *A concilio constantiensi et Martino V.*

[1] Articuli 45. Joannis Wikleff damnati a concilio constantiensi et Martino V. per Bullam „Inter cunctas„ 8 Kal Martii 1418. et Bullam „In eminentis„ ejusdem diei. Huc praeter articulos supra allatos faciunt quoque aa. 8. et 9. „Si Papa sit praescitus et malus, et per consequens membrum diaboli, non habet potestatem super fideles sibi ab aliquo datam, nisi forte a Caesare.„ „Post Urbanum VI. non est aliquis recipiendus in Papam, sed vivendum est more Graecorum sub legibus propriis.„ Confer errorem primum fraticellorum I. sup. c.

[2] Aa. 37. 41.

[3] Articuli 30. Joannis Huss damnati a concilio constantiensi et Martino V. ut supra.

[4] Aa. 7. 9. 10. 11. 12. 13. 27. 28. 29. Praeterea referri huc possunt a. 20. „Si Papa est malus, et praesertim si est praescitus, tunc ut Judas Apostolus est diaboli, fur, et filius perditionis, et non est caput sanctae militantis ecclesiae, cum nec sit membrum ejus.„ A. 22: „Papa vel praelatus malus et praescitus est aequivoce pastor, et vere fur et latro.„ A. 23: „Papa non debet dici sanctissimus, etiam secundum officium; quia alias rex deberet etiam dici sanctissimus secundum officium, et tortores et praecones dicerentur sancti; imo etiam diabolus deberet dici sanctus, cum sit officiarius Dei„ A. 24: „Si Papa vivat Christo contrarie, etiamsi ascenderet per ritam et legitimam electionem secundum constitutionem humanam vulgatam, tamen aliunde ascenderet quam per Christum, dato etiam quod intraret per electionem a Deo principaliter factam: nam Judas Iscariothes rite et legitime est electus a Deo Christo Jesu ad episcopatum, et tamen ascendit aliunde ad ovile ovium.„

pertinentior, nec aliter recipiat a Deo procuratoriam potestatem; quia ad illud officium vicariatus requiritur et morum conformitas et instituentis auctoritas.„ „Papa non est verus et manifestus successor Apostolorum principis Petri, si vivit moribus contrariis Petro; et si quaerit avaritiam, tunc est vicarius Judae Iscarioth. Et pari evidentia Cardinales non sunt veri et manifesti successores collegii aliorum Apostolorum Christi, nisi vixerint more Apostolorum, servantes mandata et consilia Domini nostri Jesu Christi.„ „Non est scintilla apparentiae, quod oporteat esse unum caput in spiritualibus regens ecclesiam, quod semper cum ecclesia ipsa militante conversetur et conservetur.„ „Christus sine talibus monstruosis capitibus per suos veraces discipulos sparsos per orbem terrarum melius suam ecclesiam regularet.„ „Apostoli et fideles sacerdotes Domini strenue in necessariis ad salutem regularunt ecclesiam, antequam Papae officium foret introductum: sic facerent, deficiente per summe possibile Papa usque ad diem judicii.„

Praecepta a Martino V.

Insuper 6) talia sunt, de quibus [1] Martinus V. interrogari voluit haeresis suspectos: „Item, utrum credat, quod beatus Petrus fuerit Vicarius Christi, habens potestatem ligandi et solvendi super terram.„ „Item utrum credat, quod Papa canonice electus, qui pro tempore fuerit, ejus nomine proprio expresso, sit successor beati Petri, habens supremam auctoritatem in ecclesia Dei.„

Reiecta a Leone X.

Talis est 7) damnatio [2] qua Lutheri articulos [3] Leo X. proscripsit: „Romanus Pontifex, Petri successor, non est Christi vicarius super omnes totius mundi ecclesias ab ipso Christo in beato Petro institutus.„ Et: „Verbum Christi ad Petrum: Quodcunque solveris super terram etc. (Matth. XVI.) extenditur dumtaxat ad ligata ab ipso Petro.„

Constitutio Pii VI.

Et talis est 8) constitutio [4] Pii VI.: „Super soliditate petrae fundatam a Christo ecclesiam, Petrumque singulari Christi munere

---

[1] Inter articulos 39. de quibus errorum Wikleff et Huss suspecti ex mandato Martini papae V. in Bulla „Inter cunctas“ interrogandi sunt: aa. 23. 24.

[2] Errores 41. Martini Lutheri damnati a Leone X. per Bullam „Exurge Domine„ 16. Maji 1520.

[3] Aa. 25. 26.

[4] „Super soliditate.„ Damnatio, et prohibitio libri Germanico idiomate editi, cujus titulus latine sonat „Quid est papa. Dat. Romae 28. novembris 1786. anno XII. Bullarii romani Pii VI. tom. 7. DCXXVIII. pag. 671.

prae ceteris electum, qui vicaria potestate apostolici chori princeps existeret, totiusque adeo gregis pascendi, fratres confirmandi, totoque orbe ligandi, ac solvendi summam curam, auctoritatemque in successores omni aevo prorogandam susciperet: dogma catholicum est, quod ore Christi acceptum, perenni patrum praedicatione traditum ac defensum, ecclesia universa omni aetate sanctissime retinuit, saepiusque adversus novatorum errores summorum pontificum, conciliorumque decretis confirmavit. In hoc scilicet apostolicae cathedrae principatu firmum voluit Christus, constrictumque teneri unitatis vinculum, quo ecclesia per universum mundum propaganda, ex membris quantumcunque dissitis, mutua omnium in uno capite consociatione in unam corporis compagem coalesceret, fieretque adeo, ut hujus vis potestatis non tantum ad primae Sedis amplitudinem, sed et maxime ad corporis totius integritatem, incolumitatemque valeret. Minime proinde mirum, quotquot omnibus retro saeculis extitere, quibus antiquus humani generis hostis hostile suum in ecclesiam odium infudit, in hanc primum Sedem irruere consuevisse, qua unitatis firmitas continetur, ut disjecto, si fieri posset, fundamento, ac dirempta ecclesiarum cum capite conjunctione, qua potissimum nituntur, vigent, ac efflorescunt, ipsammet ecclesiam, fractis viribus misere afflictam, ac dilaceratam, libertate spoliarent, qua Christus eam donavit, indignaeque servituti addicerent.„

VII. *Summa rei.*

160. Jamvero manifestum est, doctrinam catholicam, hisce comprehensam normis ac regulis, quae nullas nisi ab hostibus species exceptionum patiuntur, ad duo veluti suprema revocari fastigia, quae accurate sollerterque percipienda attendendaque sunt.

I. Primum igitur quod credendum ac vero etiam ore ad salutem profitendum edicitur, huc redit: a Christo eam esse institutam *οἰκονομίαν*, suaeque ecclesiae regimen ita esse dispositum, ut praeter singularum ecclesiarum ministros ac praepositos excipientes se mutuo eo ordine, qui praefinitur ecclesiastica hierarchia ex episcopis coalescente, presbyteris atque ministris, unus sit et credatur catholicus et universalis praepositus ex ipso episcoporum gradu ac *τάξει*, cui christiani omnes, quaecumque sit eorumdem conditio, et quacumque praecellant dignitate, obnoxii *Hierarchia.*

sint, et cui, quod attinet ad doctrinam evangelicam, ad disciplinam ecclesiasticam assequutionemque salutis non aliter morem gerant, ac oves pastori, filii parenti, magistro discipuli, et vero supremoque Christi vicario quicunque ab eodem Christo denominantur christiani.

Supremus hierarcha. II. Alterum huc redit, oecumenicum ejusmodi praepositum divinitus institutum ipsum esse romanum episcopum rite delectum ac rite ad eam provectum cathedram quam Romae primus tenuit Petrus, qui illam tanta dignitate ac jure universalis praefecturae locupletatam suis reliquit successoribus, e quibus certe nemo est, qui vere, modeste ac pie haec [1] cum magno Leone coram venerabili sacerdotum choro non frequentaret: „Cumque hanc venerabilium consacerdotum meorum splendidissimam frequentiam video, angelicum nobis in tot sanctis sentio interesse conventum. Nec dubito nos abundantiore hodie divinae praesentiae gratia visitari, quando simul adsunt et uno lumine micant tot speciosissima tabernacula Dei, tot membra excellentissima corporis Christi. Nec abest, ut confido, ab hoc coetu etiam beatissimi Apostoli Petri pia dignatio et fida dilectio: nec vestram devotionem ille deseruit, cuius vos reverentia congregavit. De vestro itaque et ipse gaudet affectu, et in consortibus honoris sui observantiam dominicae institutionis amplectitur, probans ordinatissimam totius ecclesiae charitatem quae in Petri sede Petrum suscipit, et a tanti amore pastoris nec in persona tam imparis tepescit haeredis. Ut ergo haec pietas, dilectissimi, quam erga humilitatem meam unanimiter exhibetis fructum sui studii consequatur, misericordissimam Dei nostri clementiam supplices obsecrate ut in diebus nostris [2] expugnet impugnantes nos, muniat fidem nostram, augeat dilectionem, augeat pacem, neque servulum suum, quem ad ostendendas divitias gratiae suae gubernaculis ecclesiae voluit praesidere, suf-

Leo M.

Leo M. et Pius IX.

[1] De natali eiusdem s. II. c. 2.

[2] Piae hae Leonis obsecrationes ac vota iis plane gemina sunt, in quae totus nunc effunditur germanissimus illius successor nonus Pius: incursionibus invasionibusque barbarorum illius obstrepuere aures, sed magis ferociusque huius obstrepunt: impetum hostis ille fregit, eumdem similiter hic repressit ac reprimit: intrepidus in tempestate summa ille sedit ad ecclesiae gubernacula manuque forti ac suavi clavum tractavit, neque aliter hic in iisdem adiunctis sedet ac regit: suos ille pastores non semel habuit coadunatos ut lumen unitatis micaret ac diffunderetur, neque secus hic ut foveat eamdem vocavit et vocat pastores in unum.

ficientem tanto operi et utilem vestrae aedificationi dignetur efficere, et ad hoc tempora nostrae servitutis extendere, ut proficiat devotioni, quod fuerit largitus aetati per Christum Dominum nostrum. Amen.„

VIII. *Scholion.*

De orientalium a romana unitate dissensione.

161. Quae modo sit orientalium de ecclesiastica *οἰκονομίᾳ* sentiendi docendique ratio, diligenter exponit Macarius [1] plus semel laudatus vinnicensis episcopus, quo hac in causa nemo profecto accommodatior qui audiatur. *Macarius vinnicensis.*

Statuit porro 1) discrimen idque divinitus stabilitum, secus ac protestantes opinantur, inter hierarchiam et gregem: 2) deinde statuit discrimen trium hierarchicorum ordinum, et contra presbyterianos nominatim probat, episcopos esse superiores presbyteris: 3) statuit habitum episcopi ad gregem, adeoque probat gregis centrum esse episcopum. Sed enimvero quemadmodum hisce tribus doctrinae capitibus cum romanae ecclesiae praedicatione omnino cohaeret: ita ab eadem plane discedit quod ad duo sequentia capita attinet. *Consensionis capita.*

162. Statuit namque 4) universalis unitatis centrum esse ipsos episcopos congregatos in unum, ita quidem ut quemadmodum provinciarum ecclesiasticarum centrum synodi provinciales exsistant; ita totius ecclesiae centrum sit ipsum oecumenicum concilium. Et sibi cohaerens 5) statuit, caput ecclesiae esse Dominum nostrum Jesum Christum, qui fideles interna unitate contineat, quemadmodum unitate externa per episcopos continentur. Nimirum caput ecclesiae visibile prorsus excludit, et omnimodam perfectamque inter Apostolos non minus quam inter eorum successores episcopos [2] aequalitatem affirmat. *Capita dissensionis.*

163. At vero, ut jam ab ultima assertione, quae aliarum hypothesis est ac fundamentum, exordium capiamus, praecisione modo ab iis omnibus facta, quae disputata hucusque secundum veterum tam orientalium quam occidentalium traditionem fuerunt: quomodo haec cohaerent cum perspicua scripturarum doctrina de *Reiciuntur Scriptura ac Traditione.*

[1] Theol. dogmat. orthod. t. II. p. 3. sec. 2. c. 1. §§. 171 sqq.
[2] Ib. §. 175.

praerogativis eximiis, quibus Apostolus Petrus inter Apostolos solus excelluit?

1. Doctrina evangeliorum.

Universim. 164. Quomodo enim I. cohaerent cum iis quae nos evangelia docent? Sane quo spectat 1) distincti nominis Cephae facta Simoni promissio [1], impositio [2], explicatio [3]? Nonne haec ex sese bibliorumque [4] analogia spectata indicant, voluisse Christum salvatorem nostrum, ut prae reliquis Apostolis Simon emineret? Quo spectat 2) peculiaris Christi Domini erga unum Simonem cura illa et oeconomia [5], qua eum non quidem uti dilectissimum discipulum, sed veluti discipulorum praestantissimum haberet? Quo 3) spectat apud evangelistas tota de Petro quaeque ad eum pertinebant loquendi exponendique ratio, qua post fidei auctorem ipsumque divinum magistrum et amplitudine et distinctione dictorum idem Petrus omnibus praefertur?

Matthaei XVI. 165. Profecto 4) nonne unus et solus est Simon, qui [6] ecclesiae universalis, totius Christi ecclesiae, *ἐπὶ ταύτῃ τῇ πέτρᾳ οἰκοδομήσω μου τὴν ἐκκλησίαν*, constitutus fundamentum, petra fundamentalis positus fuit? Nonne idem Petrus 5) unus est ac solus, qui [7] totius ecclesiae gubernator et rector selectus tamquam claviger regni Christi in terris, *δώσω σοι τὰς κλεῖς τῆς βασιλείας τῶν οὐρανῶν*, supremam potestatem accepit, sive leges ferendi, sive jus dicendi, causas dirimendi atque etiam poenas

[1] Joh. I. 42.

[2] Marc. III. 16.

[3] Matth. XVI. 18.

[4] Gen. cc. XVII. XVIII. XXII.

[5] Matth. XIII. 1. coll. XXIV. 37. Marc. V. 37. Matth. XVII. 24. coll. Luc. XII. 42. Matth. XVII. 25. coll. XVIII. 1. Luc. XXII. 24 sqq.

[6] Matth. XVI. 18. Architectonica metaphora obscura non est: sicut enim ecclesia cum templo et domo et aedificio in scripturis confertur; ita Christus Dominus ecclesiae auctor necessario sistitur architectus, qui tamquam vir sapiens absque dubio juxta Matth. VII. 24. *ᾠκοδόμησε τὴν οἰκίαν αὐτοῦ ἐπὶ τὴν πέτραν*: quibus integra repraesentatio illa quae architecto, aedificio fundamentoque absolvitur, declarata habetur.

[7] Matth. XVI. 19. Neque haec metaphora creare difficultatem valet, qui orientalium mores, usum loquendi bibliorumque maxime parabolas consideraverit. Ut enim ecclesia Christi frequenter regnum coelorum vocatur: ita Christus ipse sistitur summus rex, qui regni sui cives omnes subjicit ex Matth. XXIV. 45. fideli servo et prudenti.

infligendi, dum ad ipsum solum summus rex ac dominus amplissima verba [1] direxerit: *καὶ ὃ ἐὰν δήσῃς ἐπὶ τῆς γῆς ἔσται δεδεμένον ἐν τοῖς οὐρανοῖς· καὶ ὃ ἐὰν λύσῃς ἐπὶ τῆς γῆς ἔσται λελυμένον ἐν τοῖς οὐρανοῖς.*

166. Nonne iterum 6) unus solusque Petrus est, cui Christus [2] *Lucae XXII.* verbis illis *καὶ σὺ ποτὲ ἐπιστρέψας στήριξον τοὺς ἀδελφούς σου*, cum officio ac jure confirmandi fratres principatum in episcopatu interque episcopos primas detulit? Et tandem 7) nonne Petrus *Johannis XXI.* solus fuit et unus, cui [3] pastor bonus, praeter quem pastor a sese bonus vocari nullus potest, tam oves suas commisit quam omnes suos agnos, *βόσκε τὰ ἀρνία μου· ποίμαινε τὰ πρόβατά μου*, quos summa pastorali cura ac principali pastoris officio amplecteretur ac pasceret. Atqui oecumenicus hic pastoratus, quem peccati, mortis infernique triumphator Christus Petro contulit, sicut haberi velut impletio debet promissae eidem superius praerogativae fundamenti totiusque ecclesiae principatus; ita oeconomia, qua [4] redivivus a mortuis mundi Salvator erga Petrum usus est, dignitati auctoritatique pastoris universalis apprime respondet.

2. Doctrina actorum apostolicorum.

167. Sed cum iisdem praerogativis II. omnino cohaerent, quae ex Apostolorum actis et litteris docemur 1) de nascentis propagataeque ecclesiae historia: ea namque Petrum manifestissime ex-

[1] Ligandi solvendique figurata loquutione ex Hebraeorum usu, quo verba אָסַר et אָחַר usurpare solent, idem significari ac interdicere et permittere, vel prohibere et potestatem facere, vel punire et liberare, vel condemnare et dimittere, vel excommunicare et restituere, efficiunt collectis abunde testimoniis Lightfoot, Drusius, Schoettgen, Grotius, Buxtorf, Morinus e prioribus, et e praesentibus Sepp. vit. J. C. t. II. vid. Phillips. jus can. t. I. pp. 103 sqq.

[2] Luc. XXII. 31 sqq. De hoc testimonio accurate tum dicemus, quum romani episcopi dotes exponemus.

[3] Joh. XXI. 15 sqq. His a) non agitur de nuda commonitione, sed b) de ministerii ecclesiastici institutione (cf. Matth. XXVIII. 18. Marc. XVI. 15. Joh. XX. 21), neque c) consilium sed praeceptum significatur: I. Cor. IX. 23 sqq. Hebr. XIII. 17. adeoque d) in Petro facultas et jus ad illud exsequendum supponitur, et obtemperandi officium aliis imponitur. Erat porro e) Apostolis omnibus pastorale officium commune: quum ergo f) coram ceteris Petro soli peculiare aliquid tributum deprehendatur, in pastorali dumtaxat principatu situm illud censeri potest.

[4] Marc. XVI. 17. Luc. XXIV. 34. I. Cor. XV. 3 sqq.

hibet [1] tamquam Apostolorum principem, ecclesiae universalis caput, supremum omnium magistrum, legislatorem, judicem, vindicem: tum 2) quae iisdem docemur sive de expleto a Petro ministerii sui officio, quo semet summum ovilis pastorem manifestavit, verumque [2] Christi vicarium: sive de modo quo tam Apostoli quam fidelium coetus erga Petrum potestate utentem se gererent, quoque auctoritatem illius non inficias irent, verum inprimis assererent.

Infertur veritatis per Scripturas revelatio.

168. Quisquis ergo doctrinam certis atque perspicuis sacrarum litterarum oraculis innixam instar veritatis habet revelatae divinitus: is fateatur oportet, doctrinae caput quo Petrum inter Apostolos excelluisse et quidem primatus praerogativa insignem fuisse ostendimus, veris revelatis connumerandum plane esse. Sed catholica nulla doctrina est, quae ab unitatis catholicae doctoribus atque pastoribus non fuerit praedicata, proposita ac declarata.

3. Commentarii Patrum.

169. Atqui statuta e ss. litteris de Petri excellentia atque primatu doctrinae capita cohaerent omnino cum iis III. quae Patres potissimum ad allata Scripturarum testimonia modo ἐξηγητικῶς commentati sunt, modo διδακτικῶς ac θετικῶς exposuerunt, modo πολεμικῶς vindicarunt. Testes sunt non occidentales tantum, sed orientales quoque scriptores ecclesiae.

a) Patres de Matthaei XVI. 18.

Arianis anteriores.

170. Et quod 1. ad Matth. XVI. 18. attinet, ante arianas quidem turbas [3] praestitutum superius commentarium complexi sunt ex

---

[1] Cf. Act. I. 15 sqq. II. 14 sqq. 37 sqq. III. 1 sqq. coll. Joh. V. 8. Act. III. 12 sqq. IV. 4 sqq. IX. 33 sqq. coll. Matth. IX. 6. Marc. II. 3. Luc. V. 18. Act. IX. 36 sqq. Marc. V. 41 sqq. Act. V. 12 sqq. coll. Matth. XV. 30. Luc. IV. 30. Act. V. 1 sqq. VIII. 14 sqq. IX. 32. coll. Tit. I. 5. Act. X. 10 sqq. XI. 4 sqq. XII. 1 sqq. XV. 7 sqq. Atqui haec conveniunt omnino cum Matth. XVI. 18 sqq. Luc. XXII. 31 sqq. Joh. XXI. 15 sqq.

Confertur cum Christo Petrus.

[2] Ad rei illustrationem conferantur a) hinc quae narrantur de Christo Joh. II. Luc. VII. inde de Petro Act. II. rursum b) de Christo hinc Matth. IV. Luc. IV. et inde de Petro Act. V. iterum c) Marc. I. Luc. IV. de Christo et de Petro Act. I.: et praeclara inter Christum et Petrum similitudinis ratio patefiet.

[3] Cur facienda haec Patrum ante et post arianismum scribentium distinctio sit, docet Em. Schelstrate antiquit. illustrat. p. I. diss. I. c. 2. a. 1. n. 20. et Card. Du Perron. c. Angl. reg. c. 56.

orientalibus Firmilianus [1] Caesaraeae episcopus et Origenes [2], qui Petrum appellat „magnum illud ecclesiae fundamentum et petram solidissimam, super quam Christus fundavit ecclesiam.„ Verum latinos ab illis nullatenus recessisse apud omnes constat luculenterque Cyprianus [3] et Tertullianus [4] testantur.

171. Post arianas vero controversias eidem enarrationi institisse plagam ecclesiae orientalem, auctores exsistunt hi quinque plane insignes e graecis Patribus: Epiphanius [5] e quo Petrus est „inter Apostolos primus, solida illa petra, supra quam est ecclesia Dei fundata et portae inferi non praevalebunt illi.„ Basilius [6], e quo Petrus erat, „supra quam petram pollicitus fuerat Dominus suam se aedificaturum ecclesiam.„ Gregorius nazianzenus [7] e quo unus discipulorum Christi „sublimium excelsorumque atque electione dignorum petra vocatus fuit, atque ecclesiae fundamenta in fidem suam accepit.„ Joannes Chrysostomus [8], e quo est „Petrus basis ecclesiae, fundamentum fidei, chori illius coryphaeus, os Apostolorum omnium, caput illius familiae, orbis totius praefectus, fundamentum ecclesiae, ardens Christi amator, primus Apostolorum, fundamentum ecclesiae, princeps coetus discipulorum, omniumque coryphaeus.„ Et Cyrillus alexandrinus [9], e quo Jesus accedentem ad se Petrum noluit amplius „Simonem

Arianis posteriores.

Epiphanius.

Basilius

Gregorius naz.

Chrysostomus.

Cyrillus alexandrinus.

---

[1] Ep. ad Cypr. Ejus auctoritate usi superius sumus.

[2] In Exod. tom. V. p. 145. (ed. Mign. t. II. p. 329.)

[3] Coll. ep. LXX. LXXI. LXXII. LXXIII. et alibi II. supra cc.

[4] Praescriptt. c. 22. „Petrum aedificandae ecclesiae petram dictum.„

[5] Ancor. c. IX. *Ἔδει τὸν πρῶτον τῶν ἀποστόλων τὴν πέτραν τὴν στερεὰν, ἐφ᾽ ἣν ἡ ἐκκλησία τοῦ θεοῦ ᾠκοδόμηται, καὶ πύλαι ᾅδου οὐ κατισχύσουσιν αὐτῆς.*

[6] In Is. c. II. n. 66. *Ὁ Πέτρος, ἐφ᾽ ἧς καὶ πέτρας ἐπηγγείλατο ὁ κύριος οἰκοδομήσειν αὐτοῦ τὴν ἐκκλησίαν.*

[7] Or. 26. ed. Bill. t. I. p. 453. D. *Ὁ μὲν πέτρα καλεῖται, καὶ τοὺς θεμελίους τῆς ἐκκλησίας πιστεύεται.*

[8] In illud, vidi Dom. hom. IV. n. 3. opp. t. 6. p. 124. C. *Τί δὲ ὁ Πέτρος ἡ κρηπὶς τῆς ἐκκλησίας*: c. lud. et theat. ib. p. 273. C—D. *Τὸν Πέτρον τὴν κρηπῖδα τῆς πίστεως*: in illud, Hoc scitote. ib. 282. E: *Ὁ οὖν Πέτρος ὁ κορυφαῖος τοῦ χοροῦ, τὸ στόμα τῶν ἀποστόλων ἁπάντων, ἡ κεφαλὴ τῆς φατρίας ἐκείνης, ὁ τῆς οἰκουμένης ἁπάσης προστάτης, ὁ θεμέλιος τῆς ἐκκλησίας, ὁ θερμὸς ἐραστὴς τοῦ Χριστοῦ*: ad eos qui scandalizati sunt, l. un. c. 17. *Τὸν πρῶτον τῶν ἀποστόλων, τὴν κρηπῖδα τῆς ἐκκλησίας, τὸν κορυφαῖον τοῦ χοροῦ τῶν μαθητῶν*: in Matth. h. LIV. al. LV. 3. *ὁ πάντων κορυφαῖος Πέτρος.*

[9] In Joh ev. I. 42. l. II. p. 131. (ed. Mign. t. VI. p. 219. B—C.) *Καὶ Σίμωνα μὲν οὐκέτι καλεῖσθαι συγχωρεῖ, κατεξουσιάζων ἤδη καὶ κατακρατῶν, ὡς γεγονότος οἰκείου· φερωνύμως δὲ ἀπὸ τῆς πέτρας μετωνόμαζε Πέτρον· ἐπ᾽ αὐτῷ γὰρ ἔμελλε τὴν αὐτοῦ θεμελιοῦν ἐκκλησίαν.*

vocari, eum sibi pro sua potestate jam tum ut suum vindicans, sed congrua similitudine Petrum a petra [1] vocari placuit, puta super quem fundaturus erat suam ecclesiam„; et hinc eum vocat [2] „ss. Apostolorum principem.„

172. Institisse interpretationi eidem plagam ecclesiae occidentalem, neque numero pauciores neque auctoritate inferiores testes sunt maximi Patres: Hilarius pictaviensis [3] exclamans: „O in nuncupatione novi nominis felix ecclesiae fundamentum, dignaque aedificatione illius petra, quae infernas leges et tartari portas et omnia mortis claustra dissolveret„! Hieronymus [4] appellans Petrum „principem Apostolorum: super quem fundatur ecclesia: qui propterea inter duodecim unus eligitur, ut capite constituto schismatis tollatur occasio:„ Ambrosius [5] describens Petrum uti „virum sapientem et gravem, in quo esset ecclesiae firmamentum et ma-

Hilarius. *Hieronymus.* *Ambrosius.*

Nomen Petri a petra.

[1] Cum hac Cyrilli explicatione nominis Petri omnino convenit quam Chrysostomus proponit in Joannem hom. XIX. al. XVIII. t. VIII. pp. 112 sq. inquiens, Christum Dominum non illico ab initio, quum ad ipsum Simon accederet, eidem novum potestatis nomen declarasse: *οὐ γὰρ εἶπεν, ἐγώ σε μετονομάσω Πέτρον, καὶ οἰκοδομήσω μου τὴν ἐκκλησίαν ἐπὶ τῇ πέτρᾳ ταύτῃ· ἀλλὰ σὺ κληθήσῃ Κηφᾶς· ἐκεῖνο γὰρ αὐθεντίας ἦν καὶ ἐξουσίας μεῖζονος. ὁ δὲ Χριστὸς οὐκ εὐθέως οὐδὲ ἐξ ἀρχῆς τὰ τῆς ἐξουσίας ἐπιδείκνυται πάντα, ἀλλὰ τέως ταπεινότερον φθέγγεται.* Mutati porro nominis rationem ex more apud veteres repetit, *ἀπὸ τῶν πραγμάτων τὰ ὀνόματα τίθεσθαι. ὅπερ δήπου καὶ Ἠλίας πεποίηκε. τοῦτο γὰρ οὐχ ἁπλῶς γίνεται, ἀλλ' ἵνα τὴν προσηγορίαν ἔχωσιν ὑπόμνημα τῆς εὐεργεσίας τοῦ θεοῦ, ἵνα μνήμη διηνεκὴς τῆς διὰ τῶν ὀνομάτων προφητείας ἐνηχῆται τοῖς ἀκούουσιν.* Cum eadem interpretatione convenit illa Tertulliani c. Marc. l. IV. c. 13. Hieron. l. III. in Matth. XVI. vv. 17 sqq. Chrysolog. s. CLIV. auct. op. de vocat. omn. gent. l. II. c. 28. quam Gregorius M. l. VI. ep. 3. ad Eulog. alex. his complectitur: „Quis enim nesciat, s. ecclesiam in Apostolorum principis soliditate firmatam, quia firmitatem mentis traxit a nomine, ut Petrus a petra vocaretur.„

Chrysostomus. *Eulogius.*

[2] In Joan. l. XII. t. IV. p. 1064. *Τὸν τῶν ἁγίων μαθητῶν πρόκριτον.*

[3] Com. in Matth. XVI.

[4] Ep. ad Damas. 57. l. supra c. adv. pelag. l. I. p. 718. coll. p. 661. adv. Jovin. l. I. p. 279.

[5] De virginit. l. un. c. 16. de fide l. IV. c. 5. n. 56. et iis quae habet n. 105. coll. cum Pseudo-Ambros. s. XLIV. n. 5. ad verba Matth. XVI. 18. „Cum vocaretur ergo Simon, per hanc devotionem vocatus est Petrus. Legimus dicente Apostolo de ipso Domino: Bibebant de spiritali consequente eos petra, petra autem erat Christus (I. Cor. X. 4.). Recte igitur quia petra Christus, Simon nuncupatus est Petrus, ut qui cum Domino fidei societatem habebat, cum Domino haberet et nominis dominici unitatem: ut sicut a Christo christianus dicitur, ita et a petra Christo Petrus Apostolus vocaretur.„

Ambrosiaster.

gisterium disciplinae.„ Augustinus [1] ita retractans: „In hoc libro dixi in quodam loco de Apostolo Petro, quod in eo tamquam in petra fundata sit ecclesia, qui sensus etiam cantatur ore multorum in versibus beatissimi Ambrosii, ubi de gallo gallinaceo ait: hoc ipsa petra ecclesiae canente culpam diluit.„ Pacianus barcinonensis [2] enarrans „ad Petrum loquutum esse Dominum, ad unum ideo, ut unitatem fundaret ex uno.„ Et Leo M. [3] scribens: „Et quia per omnes ecclesias cura nostra distenditur, exigente hoc a nobis Domino, qui apostolicae dignitatis beatissimo Apostolo Petro primatum fidei suae remuneratione [4] commisit, universalem ecclesiam in fundamenti ipsius soliditate constituens, necessitatem sollicitudinis quam habemus cum his qui nobis collegii caritate juncti sunt sociamus.„ *Augustinus.* *Pacianus.* *Leo M.*

173. Atqui hoc ipsum Patres synodis ephesina et chalcedonensi coadunati locis superius allatis pronuntiarunt. Ratum ergo fixumque secundum Patres cuivis credenti sit primum illud fidei caput, de quo praecuntibus Scripturis diximus. *Synodi.*

b) De Matth. XVI. 19.

174. Verum 2) ratum quoque ac fixum caput alterum commate 19. comprehensum habendum esse, simili pacto comprobatur. Probatur auctoritate Firmiliani episcopi Caesaraeae Cappadociae ad Cyprianum [5] scribentis, „quod soli Petro Christus dixerit, Quaecunque ligaveris super terram erunt ligata et in coelis, et quaecunque solveris super terram, erunt soluta et in coelis.„ Probatur auctoritate Origenis [6] declarantis discrimen potestatis tributae *Firmilianus.* *Origenes.*

[1] Retractt. l. I. c. 21.

[2] Ep. III. ad Symphor. l. jam c.

[3] Ad epp. metropol. per Illyric. constitutt. ep. V. c. 2.

[4] His Leo docet quod confirmat s. 4. die anniv. assumpt. ad pontificat. quodque pariter significant Orig. in Matth. tr. III. p. 30. Hilar. pict. de Trinit. l. X. n. 175. Maxim. taur. s. V. in nat. Ap. aliique, confessionem b. Petri Apostoli v. 17. suamque a Christo Domino provectionem v. 18. ad invicem referri ut conditionem ad mercedem, meritum ad remunerationem ac praemium. *Confessio Petri suae praerogativae conditio.*

[5] Int. Cypr. ep. LXXV.

[6] In Matth. tom. XII. n. 11. et tom. XIV. n. 31, ubi haec: *Πλὴν τὰ ἐν τοῖς ἀνωτέρω μονῳ τῷ Πέτρῳ δεδομένα ἔοικε δηλοῦσθαι δεδωκέναι πᾶσι τοῖς τὰς τρεῖς κουθεσίας προσαγαγοῦσι πᾶσι τοῖς ἡμαρτηκοσιν, ἵν' ἐαν μὴ ἀκουσθῶσι δήσωσιν ἐπὶ γῆς τον κριθέντα εἶναι ὡς ἐθνικὸν καὶ τελώνην ὡς δεδεμένου τοῦ*

omnibus simul Apostolis et illius quae Petro specialiter collata fuit: „Verum quae uni Petro supra concessa sunt, hic omnibus quoque videtur tribuisse, qui peccatores quoslibet ter corripuerint, ut si mos iis gestus non fuerit, super terram eum alligent, qui ut pro ethnico et publicano dignus haberetur judicatus est, quum et in coelo alligatus ille sit. At quoniam prae iis qui ter arguerunt, peculiare aliquid Petro tribui oportebat, etiamsi de Petro, et qui ter fratres arguerunt commune aliquid dictum sit, privatim [1] illud Petro attributum est: Dabo tibi claves regni coelorum, priusquam illud: Quaecunque alligaveritis super terram et cetera. Ac sane si ad evangelica scripta animum diligenter appellamus, ibi magnum inveniemus discrimen et excellentiam eorum quae Petro prae iis quae aliis dicta sunt, etiam in iis rebus quae Petrum inter et eos qui ter fratres objurgaverunt communes esse videntur. Nec enim exigua differentia est, claves non unius coeli Petrum, sed plurimorum [2] accepisse; et quaecunque super terram alligaverit, non in uno coelo sed in omnibus ligata esse, prae pluribus aliis qui super terram et alligant et solvunt, ita ut haec alligata et soluta sint non in coelis, sicut Petro concessum est, sed in uno coelo: nec enim eo penetrandi facultate pollent, quemadmodum Petrus, ut alligent vel solvant in omnibus coelis. Quo praestantior ergo fuerit qui alligat, eo felicior qui fuerit solutus,

---

τοιούτου ἐν τῷ οὐρανῷ. Ἀλλ' ἐπεὶ ἐχρῆν, εἰ καὶ κοινόν τι ἐπὶ τοῦ Πέτρου καὶ τῶν νουθετησάντων τρὶς τοὺς ἀδελφοὺς λέλεκται, ἐξαίρετον ἔχειν τὸν Πέτρον παρὰ τοὺς τρὶς νουθετήσαντας, ἰδίᾳ τοῦτο προτέτακται ἐπὶ τοῦ Πέτρου τό, Δώσω σοι τὰς κλεῖς τῆς βασιλείας τῶν οὐρανῶν, τοῦ· καὶ ὅσα ἐὰν δήσητε ἐπὶ τῆς γῆς, καὶ τὰ ἑξῆς. καίτοι γε εἰ ἐπιμελῶς προσέχομεν τοῖς εὐαγγελικοῖς γράμμασι, καὶ ἐν τούτοις εὕροιμεν ἂν καὶ κατὰ ταῦτα τὰ δοκοῦντα εἶναι κοινὰ πρὸς τὸν Πέτρον, καὶ τοὺς τρὶς νουθετήσαντας τοὺς ἀδελφοὺς, πολλὴν διαφορὰν καὶ ὑπεροχὴν ἐκ τῶν πρὸς τὸν Πέτρον εἰρημένων παρὰ τοὺς δευτέρους· οὐ γὰρ ὀλίγη διαφορὰ τὸν Πέτρον εἰληφέναι τὰς κλεῖδας οὐχ ἑνὸς οὐρανοῦ, ἀλλὰ πλειόνων, καὶ ἵνα ὁσὰ ἐὰν δήσῃ ἐπὶ τῆς γῆς, ᾖ δεδεμένα οὐκ ἐν ἑνὶ οὐρανῷ, ἀλλ' ἐν πᾶσιν αὐτοῖς, πρὸς τοὺς πολλοὺς δεόντας ἐπὶ τῆς γῆς, καὶ λύοντας ἐπὶ τῆς γῆς, ὥστε ταῦτα δεδέσθαι καὶ λελύσθαι οὐκ ἐν οὐρανοῖς ὡς ἐπὶ Πέτρου, ἀλλ' ἐν οὐρανῷ ἑνί. οὐ γὰρ διαβαίνουσι τῇ δυνάμει ὡς Πέτρος, ἵνα δήσωσιν ἢ λύσωσιν ἐν πᾶσιν οὐρανοῖς. Ὅσῳ οὖν βελτίων ὁ δεσμεύων, τοσοῦτον μακαριώτερος ὁ λελυμένος, ὡς καὶ πανταχοῦ τῶν οὐρανῶν εἶναι αὐτοῦ τὸ λελύσθαι.

[1] His Origenes, a quo reliqui e maioribus nullatenus discordant, Macarii aliorumque eodem pertinentium omnium rationes contra Petri primatum e ss. litteris afferri solitas penitus convellit.

[2] *Οἱ πλείονες* in oppositione cum *τῷ ἑνὶ* significat omnes, ut ipse Origenes ad rem paulo post diserte effert.

cum in omnibus plane coelis solutus sit.„ Quibus Origenes Petri auctoritatem singularem plane asserit atque a communi aliorum Apostolorum distinctam, nimirum universalem, et non modo in subditos, verum etiam in praepositos patentem. Sed praeterea idem probatur auctoritate Chrysostomi [1] demonstrantis ex collatis Petro a Christo Domino praerogativis „petrae et clavium„ auctoris Christi divinitatem: „Deinde alterum dicit honorem, Ego autem dabo tibi claves regni coelorum. Quid significat illud, Ego autem tibi dabo? Quemadmodum Pater tibi dedit ut me cognosceres, sic et ego tibi dabo. Neque dixit rogabo Patrem, etiamsi magna esset potestatis demonstratio, et doni magnitudo ineffabilis, sed, Ego dabo tibi. Quid quaeso das? Claves regni coelorum; ut quaecunque ligaveris.... Viden? quomodo ad sublimiorem de se opinionem Petrum erigat et se ipsum revelet ac per hasce duas promissiones se Filium Dei esse ostendat? Nam quae uni Deo sunt propria, nempe peccata solvere, ecclesiam in tanto fluctuum concursu immotam reddere, hominemque piscatorem toto impugnante orbe petra firmiorem reddere, haec se illi daturum pollicetur; ut Pater Jeremiam alloquens dicebat [2], se posuisse illum sicut columnam aeream et sicut murum, sed illum uni genti, hunc autem in universo terrarum orbe.„ Eodem pertinent, quae cecinit [3] nazianzenus Gregorius: „Sic etiam vitiosissimus qualis exstitit Judas, Annon divini Pauli vocabitur genitor, aut Petri, illius

Chrysostomus.

Gregorius nazianzenus.

---

[1] In Matth. hom. LIV. al LV. n. 2. *Εἶτα καὶ ἑτέραν λέγει τιμήν· Καὶ ἐγὼ δέ σοι δώσω τὰς κλεῖς τῶν οὐρανῶν. Τί δέ ἐστι, καὶ ἐγὼ δέ σοι δώσω; Ὥσπερ ὁ Πατήρ σοι ἔδωκε τὸ ἐμὲ γνῶναι, οὕτω καὶ ἐγώ σοι δώσω. Καὶ οὐκ εἶπε, παρακαλέσω τὸν Πατέρα· κἀίτοι πολλὴ ἦν τῆς ἐξουσίας ἡ ἔνδειξις, καὶ τοῦ δώρου τὸ μέγεθος ἄφατον· ἀλλ' ἐγώ σοι δώσω. Τί δίδως; εἰπέ μοι. Τὰς κλεῖς τῶν οὐρανῶν· ἵνα ὅσα ἂν δήσῃς.... Εἶδες πῶς καὶ αὐτὸς ἀνάγει τὸν Πέτρον εἰς ὑψηλὴν τὴν περὶ αὐτοῦ ἔννοιαν, καὶ ἑαυτὸν ἀποκαλύπτει καὶ δείκνυσιν υἱὸν ὄντα τοῦ Θεοῦ διὰ τῶν ὑποσχέσεων τῶν δύω τούτων; Ἃ γὰρ Θεοῦ μόνου ἐστὶν ἴδια τότε ἁμαρτήματα λῦσαι καὶ τὸ ἀπερίτρεπτον τὴν ἐκκλησίαν ποιῆσαι ἐν τοσαύτῃ κυμάτων ἐμβολῇ καὶ ἄνθρωπον ἁλιέα πέτρας πάσης ἀποφῆναι στερρότερον τῆς οἰκουμένης πολεμούσης ἁπάσης, ταῦτα αὐτὸς ἐπαγγέλλεται δώσειν· καθάπερ ὁ Πατὴρ πρὸς τὸν Ἱερεμίαν διαλεγόμενος ἔλεγεν. Ὡς στῦλον χαλκοῦν καὶ ὡσεὶ τεῖχος θήσειν αὐτόν· ἀλλ' ἐκεῖνον μὲν ἑνὶ ἔθνει, τοῦτον δὲ πανταχοῦ τῆς οἰκουμένης.*

[2] Jer. I. 18.

[3] Carm. l. l. sec. 2. poëm. moral. in laudem virginitat. vv. 487—490.

Οὐδ' εἴ τις κακίαν πεφυκὼς οἷός περ' Ἰούδας,
Ἢ Παύλου ζαθέου κεκλήσεται, ἢ ὅγε Πέτρου,
Πέτρης ἀῤῥαγέος, γενήτης κληῖδα λαχόντος.

petrae quae rumpi non potest, cui commissa clavis.„ Tum spec-
Basilius M. tant eodem quae Basilius M. (quaeque post illum repetit [1] Symeon
Symeon metaphrastes. metaphrastes) disserit [2] quaerens: „Porro talis ac tanti judicii exactor, tantaeque Dei in peccantem irae minister, beatus ille Petrus, omnibus discipulis praelatus, cui soli majora data quam aliis sunt testimonia, qui praedicatus est beatus, cui claves regni coelorum concreditae sunt, cum audit a Domino, Si non lavero te, non habebis partem mecum, quale cor, quaeso, et quantumvis lapideum, ad metum judiciorum Dei non incitet?„ Eo spectat [3]
Procopius. Procopius gazaeus affirmans pro praeclara fidei professione Petro tributam fuisse singularem clavium potestatem. Eodemque vel
Photius. ipse [4] sui prope oblitus spectat Photius in veritatem velut invitus erumpens: „Ita suadet Apostolorum coryphaeus, cui claves et ingressus portarum coelestium concreduntur.„

175. Verum multo etiam plenius idipsum contestantur occiden-
Tertullianus. tales: praeter Tertullianum [5] enim, Cyprianum [6], Optatum [7] quos
Cyprianus. *Optatus.* abunde suo superius loco in lucem protulimus, operae pretium est, quatuor inprimis laudasse romanos praesules, qui verbis Domini innixi et clavium sibi summam potestatem vindicarunt eademque citra contestationem usi sunt non modo in negotiis occidentalibus, verum apprime in orientalibus. Coelestinum, inquam, Leonem M., Gelasium, magnumque Gregorium. Et primus quidem ita
Coelestinus. ad episcopos scripsit [8] per Illyricum constitutos: „Nosque prae-

[1] De peccato s VII. n. 5. int. opp. Basil. ed. Mign. append. t. IV. p. 1203. C—D.

[2] De judicio Dei n. 7. ed. Mign. t. III. p. 671. *Ὁ δὲ τοιούτου καὶ τηλικούτου κρίματος ὑπηρέτης, ὁ μακάριος Πέτρος, ὁ πάντων μὲν τῶν μαθητῶν προκριθεὶς, μόνος δὲ πλείω τῶν ἄλλων μαρτυρηθεὶς καὶ μακαρισθεὶς, ὅταν ἀκούῃ παρὰ τοῦ κυρίου, Ἐὰν μὴ νίψω σε, οὐκ ἔχεις μέρος μετ᾽ ἐμοῦ, ποίαν ἄρα καὶ τὴν ὁπωσοῦν λιθίνην καρδίαν οὐ δυσωπήσει πρὸς φόβον τῶν τοῦ θεοῦ κριμάτων.*

[3] Com. in Is. c. LXII. vv. 1—12. ed. Mign. t. II. p. 2661. B—C. *Τοιγαροῦν οὐρανοῦ τὰς κλεῖς Πέτρῳ παρέσχε καλλῶς τὴν πίστιν ὁμολογήσαντι, καὶ τὸ δύνασθαι δεσμεῖν τε καὶ λύειν.*

[4] Epp. l. I. ep. 8. n. 25. ad Michael. Bulg. princip. ed. Mign t. II. p. 661. A—B. *Οὕτω Πέτρος ὁ κορυφαῖος τῶν ἀποστόλων, καὶ τῶν οὐρανίων πυλῶν τὰς κλεῖς ἐμπεπιστευμένος καὶ τὴν εἴσοδον.*

[5] Adv. gnost. Scorp. c. 10. coll. de praescriptt. c. 22.

[6] Ep. LXXIII. ad Jubai. de haer. bapt. coll. de unit. eccl.

[7] De schism. donat. l. II. et VII.

[8] Inter Holsten. ep. 13.

cipue circa omnes cura constringimur, quibus necessitatem de omnibus tractandi Christus in Petro Apostolo, cum illi claves aperiendi claudendique daret, indulsit.„ Alter vero gravissima ad episcopos per provinciam viennensem constitutos epistola [1], postquam primum incisum [2] verborum Domini interpretatus est, suaeque causae ita praeclare aptavit: „Hunc enim in consortium individuae unitatis assumptum, id quod ipse erat, voluit nominari dicendo: Tu es Petrus . . ., ut aeterni templi aedificatio mirabili munere gratiae in Petri soliditate consisteret: hac ecclesiam suam firmitate corroborans, ut illam nec humana temeritas posset appetere, nec portae contra illam inferi praevalerent. Verum hanc petrae istius sacratissimam firmitatem Deo ut diximus aedificante constructam, nimis impia vult praesumptione [3] violare, quisquis ejus potestatem tentat infringere, favendo cupiditatibus suis, et id quod accepit a veteribus non sequendo: cum nulli se subditum legi, nullis institutionis dominicae credit regulis contineri, a vestro nostroque per novae usurpationis ambitum more desciscens praesumendo illicita et quae custodire debuit negligendo„: de inciso sequenti haec [4] commentatur: „Cui (Petro) cum prae ceteris solvendi et ligandi tradita sit potestas, pascendarum tamen ovium cura specialius mandata est. Cui quisquis principatum aestimat denegandum, illius quidem nullo modo potest minuere dignitatem: sed inflatus spiritus superbiae suae, semetipsum in inferna demergit.„ A quibus haec avelli non debent, quae sermone [5] eloquentiae divinae pleno de verbis Christi [6] ad Petrum directis ita omnino pronuntiavit: „Et ego dico tibi: hoc est, sicut Pater meus tibi manifestavit divinitatem meam, ita et ego tibi notam facio excellentiam tuam: Quia tu es Petrus; id est, cum ego sim inviolabilis petra, ego lapis angularis, qui facio utraque unum, ego fundamentum praeter quod nemo potest aliud ponere [7]: tamen tu quoque petra es, quia mea virtute solidaris, ut quae mihi potestate sunt propria, sint tibi mecum participatione communia: Et super hanc petram . . . Super hanc inquit, fortitudinem aeternum exstruam templum, et ecclesiae meae coelo infe-

Leo M.

Dissidiorum causae.

[1] Ep. X. c. 1.
[2] Matth. XVI. 18.
[3] His dissidiorum scissionumque causas magnus Leo egregie describit.
[4] Ibid. c. 3.
[5] De natali ipsius. IV, cc. 3—4.
[6] Matth. XVI. 18 sqq.
[7] Eph. II. 14. 20.

renda sublimitas in hujus fidei firmitate consurget. Hanc confessionem portae inferi non tenebunt, mortis vincula non ligabunt: vox enim ista vox vitae est. Et sicut confessores suos in coelestia provehit, ita negatores ad inferna demergit. Propter quod dicitur beatissimo Petro: Tibi dabo claves . . . Transivit quidem etiam in alios Apostolos jus potestatis istius, et omnes ecclesiae principes decreti hujus constitutio commeavit; sed non frustra uni commendatur, quod omnibus intimetur. Petro enim ideo hoc singulariter creditur, quia cunctis ecclesiae rectoribus Petri forma praeponitur. Manet ergo Petri privilegium, ubicunque ex ipsius fertur aequitate judicium.„ Quibus declaratur non tantum 1. Christi verba ad Petrum, et quidem 2. ad solum Petrum, sed etiam 3. ad Petrum spectare singulariter, ita, ut exsortem prae aliis Apostolis praerogativam potestatemque nactus sit.

Gelasius I.

176. Neque aliter contra graecos disputans [1] Gelasius I, qui collatis simul oraculis Domini apud Matthaeum, Lucam atque Joannem distinguentis prae reliquis Petrum Apostolum, infert „nulla ratione nullaque consequentia aliis sedibus deferendum (al. defendendum) esse, si primae bb. Petri sedi antiqua et vetusta reverentia non defertur, per quam omnium sacerdotum dignitas semper est roborata atque firmata, trecentorumque decem et octo Patrum [2] invicto et singulari judicio vetustissimus judicatus est honor? Utpote qui Domini recordabantur [3] sententiam: Tu es Petrus et q. sqq. Quare igitur, subjungit [4], ad Petrum tam frequens Domini sermo dirigitur? Numquid non reliqui sancti et beati Apostoli non erant simili virtute succincti? Quis hoc audeat affirmare? Sed [5] ut capite constituto schismatis tolleretur occasio; et una monstraretur compago corporis Christi, quae ad unum caput gloriosissima dilectionis societate concurreret: et una esset ecclesia cui fideliter crederetur, unaque domus unius Domini et unius redemptoris, in qua de uno pane et de uno calice [6] nutriremur. Qua ratione sicut dixi majores nostri, reverendi illi ecclesiarum ma-

Concilii nicaeni auctoritas.

---

[1] Tractat. c. graec. sive ep. VIII. n. 7. ap. Sirmond. et Galland. t. X. p. 677. C—E.

[2] A nicaeno nimirum concilio suffragium repetit.

[3] Matth. XVI. 18 sq.

[4] Ibid. n. 8.

[5] Haec habet Hieronymus adv. Jovinian. l. I. c. 14.

[6] I Cor. X. 17.

gistri, clarissimaque illa populi christiani lumina, quos merita virtutum suarum usque ad confessionis gloriosissimas palmas et martyrii fulgentes extulere coronas, ad illam sedem quam princeps Apostolorum sederat Petrus, sui sacerdotii sumpta principia repleti Christi caritate mittebant, suae inde soliditatis gravissima firmitatis roboramenta poscentes. Ut per hanc speciem omnibus appareat, vere unam esse per omnia et indissolubilem Christi ecclesiam, quae concordiae vinculo mirabilique caritatis textura composita, sola et indivisa [1] per totum ostenderetur esse tunica Christi, quam nec milites ipsi qui Dominum crucifixerunt, dividere ausi fuissent. Quae nunc si propter [2] perfidiam Petri, Acacii tyrannicam superbiam impiamque praesumptionem ejus, violatur atque conscinditur; videte et sapienter expendite, in quam grave periculum nostra deducitur conscientia, dum tanta majorum solvitur observantia.„ Quod quidem testimonium quum omnibus titulis eximium sit, tum propterea insigne est, quod non semel ad gravissimum nicaeni concilii suffragium appellet. *Vetustae schismatis radices*

177. Quibus Gregorius M. cujus nomen jure merito apud ipsos graecos maximi semper fiebat addi meretur. Is autem ad Mauritium Augustum de excellentia romanae ecclesiae scribens [3] e sacris litteris ita colligit: „Cunctis ergo evangelium scientibus liquet, quod voce dominica sancto et omnium Apostolorum Petro principi Apostolo totius ecclesiae cura commissa est. Ipsi quippe dicitur: Tu es Petrus . . . et tibi dabo claves regni coelorum . . . Ecce claves regni coelestis accipit, potestas ei ligandi et solvendi tribuitur, cura ei totius ecclesiae et principatus committitur.„ *Gregorius M.*

178. Ab hac porro illustrium praedecessorum suorum doctrina obortis dissidiis romani praesules non recesserunt. Satis est celeberrimorum duorum allegasse sententias. Alter est Gregorius VII., qui de sedis romanae in omnes auctoritate ex Scripturis Traditioneque ita [4] disserit: „Nam, ut de multis pauca dicamus, quis ignorat vocem Domini ac Salvatoris nostri Jesu Christi dicentis [5]: Tu *Gregorius VII.*

[1] Joh. XIX. 23 sq.
[2] Animadverte vetustas schismatum radices.
[3] Cf. l. V. ep. 20.
[4] Ad Herimann. mettens. epp. l. VIII. ep. 21. ap. Mansi coll. conc. tom. XX. pp. 331 sqq.
[5] Matth. XVI. 18 sq.

es Petrus . . . Et tibi dabo . . . Numquid sunt hic reges excepti? Aut non sunt de ovibus quas Filius Dei b. Petro commisit? Quis rogo in hac universali concessione ligandi atque solvendi a potestate Petri se exclusum esse existimat, nisi forte infelix [1] ille, qui jugum Domini portare nolens, diaboli se subjicit oneri, et in numero ovium Christi esse recusat? cui tamen hoc ad miseram libertatem minime proficit, quod potestatem Petri divinitus sibi concessam a superba cervice excutit: quoniam quanto eam quisque per elationem ferre abnegat, tanto durius ad damnationem suam in judicio portat. Hanc itaque divinae voluntatis institutionem, hoc firmamentum dispensationis ecclesiae, hoc privilegium b. Petro Apostolorum principi coelesti decreto principaliter traditum atque firmatum, sancti Patres cum magna veneratione suscipientes atque servantes, sanctam romanam ecclesiam tam in generalibus conciliis, quam etiam in ceteris scriptis et gestis suis universalem matrem appellaverunt: et sicut ejus documenta in confirmatione fidei et eruditione sacrae religionis, ita etiam judicio susceperunt: in hoc consentientes et quasi uno spiritu et una voce concordantes, omnes majores res et praecipua negotia nec non omnium ecclesiarum judicia ad eam quasi ad matrem et caput debere referri, ab ea nusquam appellari, judicia ejus a nemine retractari aut refelli debere vel posse. Unde b. Gelasius papa Anastasio imperatori scribens divina fultus auctoritate, quid et qualiter de principatu sanctae et apostolicae sedis sentire deberet, hoc modo eum instruxit: Etsi, inquit, cunctis generaliter sacerdotibus recte divina tractantibus fidelium convenit colla submitti, quanto potius sedis illius praesuli consensus est adhibendus, quem cunctis sacerdotibus et divinitas [2] summa voluit praeeminere, et subsequens ecclesiae generalis jugiter pietas celebravit? Ubi prudentia tua evidenter advertit, numquam quolibet penitus humano consilio aequare se quemquam posse illius privilegio vel confessioni, quem Christi vox praetulit universis, quem ecclesia veneranda confessa semper est, et habet devota primatem. Item Julius papa orientalibus episcopis scribens de potestate ejusdem sanctae et apostolicae sedis ait: Decuerat vos fratres adversus sanctam romanam et apostolicam ecclesiam limate et non ironice loqui: quoniam et ipse Dominus

Ad ss. Patres appellat.

Ad concilia generalia provocat.

Decessorum suffragio utitur.

---

[1] His ad Henricum IV. imperatorem respicit.

[2] En Scripturam ac Traditionem.

noster Jesus Christus eam decenter alloquutus ait: Tu es Petrus . . . et tibi dabo claves regni coelorum. Habet enim potestatem singulari privilegio concessam aperire et claudere januas regni coelestis quibus voluerit. Cui ergo aperiendi claudendique coeli data potestas est, de terra judicare non licet? Absit.„

179. Cum hac eximia Gregorii disputatione, qua romanae sedis primatum contra potentiam hujus saeculi vindicabat, ad amussim concinit alter haud minus illustris ecclesiae Dei defensor Innocentius III., qui principatum eumdem contra mota ab Joanne archiepiscopo constantinopolitano dubia hoc pacto [1] defendit: „Apostolicae sedis primatus quem non homo sed Deus, imo verius Deus homo constituit, multis quidem et evangelicis et apostolicis testimoniis comprobatur, a quibus postmodum constitutiones canonicae processerunt, concorditer asserentes sacrosanctam romanam ecclesiam in beato Petro Apostolorum principe consecratam, quasi magistram et matrem ceteris praeeminere. Hic enim quum interroganti Domino quem homines esse dicerent Filium hominis aliis referentibus opiniones aliorum, ipse velut inter ceteros primus eum esse Christum Dei vivi Filium respondisset, audire meruit: Tu es Petrus . . . et post pauca: Tibi dabo claves regni coelorum. Nam licet primum et praecipuum ecclesiae fundamentum [2] sit unigenitus Dei filius Jesus Christus, juxta quod dicit [3] Apostolus: quia fundamentum positum est, praeter quod aliud poni non potest, quod est Jesus Christus: secundum tamen et secundarium fundamentum ecclesiae est Petrus etsi non tempore primus, auctoritate tamen praecipuus inter ceteros de quibus Paulus Apostolus inquit [4]: Jam non estis hospites et advenae, sed estis cives sanctorum et do-

Innocentius III.

Primum et secundum ecclesiae fundamentum.

[1] Ep. CCIX. regestor. l. II. pontific. an. II. C. D. 1190. ap. Migne t. I. pp. 758 sqq.

[2] Communem vulgaremque exceptionem contra Petri praerogativas, quibus caput fundamentumque ecclesiae est ac dicitur, egregie Innocentius dissolvit. Sumitur illa ab ipsius Christi praestantia, qua est lapis angularis ac fundamentum solus. Atqui sicuti non pugnat cum praestantia Christi, qua est lux mundi, ut Apostoli quoque lux mundi dicantur et sint; ita non pugnat cum Christi excellentia qua est fundamentum ac petra, ut Petrus etiam constitutus sit petra ac fundamentum. Scilicet, Christus est teste Dionysio vulgato de div. nom. c. I. § 6. ἡ αὐτόλιθος καὶ πέτρα, fundamentum et lapis ab et ex sese, verum Petrus est petra ac fundamentum a Christo et per Christum.

[3] I Cor. III. 11.

[4] Ephes. III. 20.

mestici Dei, superaedificati supra fundamentum Apostolorum et prophetarum, quos et fundamenta esse in montibus sanctis David propheta testatur. Hujus etiam primatum Veritas per se ipsam expressit cum inquit [1] ad eum: Tu vocaberis Cephas: quod etsi Petrus interpretetur, caput tamen exponitur, ut sicut caput inter cetera membra corporis, velut in quo viget plenitudo sensuum, obtinet principatum, sic et Petrus inter Apostolos et successores ipsius inter universos ecclesiarum praelatos praerogativa praecellerent dignitatis; vocatis sic ceteris in partem sollicitudinis, ut nihil eis de potestatis plenitudine deperiret. Huic Dominus oves suas pascendas vocabulo tertio repetito commisit; ut alienus a grege dominico censeatur, qui eum etiam in successoribus suis noluerit habere pastorem. Non enim inter has et illas oves distinxit, sed simpliciter inquit [2]: Pasce oves meas, ut omnes omnino intelligantur ei esse commissae. Jacobus enim frater Domini, qui videbatur esse columna, Jerosolymitana solum contentus, ut ibi semen fratris praemortui suscitaret ubi fuerat cruxifixus, Petro non solum universam ecclesiam, sed totum reliquit sacculum gubernandum „ Quod quum aliis [3] praeterea e Scripturis argumentis probavit de potestate clavium [4] haec subjicit: „Huic praeterea dictum in evangelio et audisti saepius et legisti: Quodcunque ligaveris super terram . . . Quodsi omnibus etiam Apostolis simul dictum esse reperias, non tamen aliis sine ipso sed ipsi sine aliis attributam esse cognosces ligandi et solvendi a Domino facultatem; ut quod non alii sine ipso, ipse sine aliis posset ex privilegio sibi collato a Domino et concessa plenitudine potestatis.„ Quae ubi rursum aliis [5] Scripturarum testimoniis illustravit, concludit: „Quia solus Petrus potest non solum omnia, sed omnium crimina relaxare.„ Scilicet perpetua ac constans haec fuit apostolicae sedis romanae traditio dictis factisque expressa, vi verborum quibus apud Matthaeum Dominus Petrum affatus est, constitutum hunc Apostolorum omnium caput et principem fuisse, ita ut isti sine illo ac contra illum nihil in ecclesia Dei potuissent, et quidquid potuerint id una cum illo et sub illo dumtaxat possent.

---

[1] Joh. I. 42.
[2] Joh. XXI. 17.
[3] Luc. XXII. 32.; Joh. VI. 61.
[4] Matth. XVI. 19.
[5] Matth. XVIII. 21 sqq.; Joh. XXI. 22.

180. Et non alia fuit aliorum Patrum latinorum [1] traditio constans ac jugis praedicatio. Quod licet satis probatum videri iis possit, quae jam attulimus, juverit tamen excepisse quae ad Matthaei locum [1] commentatur Hilarius pictaviensis: „O beatus, inquit, coeli janitor, cujus arbitrio claves aeterni aditus traduntur, cujus terrestre judicium praejudicata auctoritas sit in coelo: ut quae in terris aut ligata sint aut soluta, statuti ejusdem conditionem obtineant et in coelo„ Tum quae Ambrosius [2] ad eadem respiciens Christi verba loquitur: „Denique ille (Petrus) sine metu advenit, et constanter qui posterior venerat, primus ingreditur, quasi qui claves regni ut aliis aperiret acceperat.„ Praeterea quae juxta „sensum mysticum„ interpretando [3] explicat Augustinus: „In Petro, inquit, actualis vita, in Joanne contemplativa significatur, in utroque praesens pariter et futura. Ecclesia autem, cujus Petrus propter primatum apostolatus [4], figuram gerebat, claves a Christo regni coelorum accepit [5] in petra, id est potestate solvendi ligandique peccata. Quod enim est per proprietatem in Christo ecclesia [6], hoc est per significationem Petrus in petra, quod significa-

Hilarius.

Ambrosius.

Augustinus.

Petrus ecclesiae figura.

---

[1] Matth. XVI. 19. coll. iis quae idem habet tr. in Ps. CXXXI. 4.

[2] Expos. ev. sec. Luc. l. X. p. 1535.

[3] N. PP. Bib. tom. I. p. 380. s. CLXIX. n. 4.

[4] Habuit ergo auctore Augustino Petrus primas inter Apostolos idque in ipso apostolatu.

[5] Similia leguntur s. CXLIX. 7.

[6] Ex hac Petri cum Christo collatione apertissime liquet vim primatus Petro collati nihil inde infringi, quod ab Augustino non tantum, sed ab aliis quoque Patribus Petrus figuram gessisse ecclesiae dicatur, cum illi claves regni coelorum committerentur. Qua in re, ne veteres secum invicem pugnare videantur, animadverti debet 1) quatuor apud illos reperiri „petrae„ Matth. XVI. 18. interpretationes: Ia. eam accipit de Petro: IIa. de Christo: IIIa. de fide in Christum: IVa. de fidei professione (de quibus conferri meretur Cardinalis Gerdilius in analysi adv. Launoium opp. tom. XIII. pp. 3 sqq.). 2) tum animadverti debet, quatuor has interpretationes simul omnes adaequatam plenissimamque verborum Christi sententiam referre: adeoque 3) unam neque alteram excludere, neque ab altera excludi, sed potius omnes una postulari. Sane prima postulatur sensu litterali immediato. Postulatur altera, quum neque Petrus sit ecclesiae petra ex sese ac princeps, neque Christi ecclesia sine Christo fundamento ex sese et principe concipi possit. Postulatur tertia, quum ex nexu cum praecedentibus intelligatur, causam ob quam Petrus designaretur ecclesiae petra fuisse ejus fidem, adeoque Petrum uti habentem fidem esse ecclesiae petram: quasi Christus dixisset, per fidem tu es petra super quam aedificabo ecclesiam meam, vel, quatenus habens fidem tu es petra, vel etiam tua fides est petra super quam aedificabo ecclesiam meam. Postulatur quarta, quum fides Petri non absolveretur interno fidei

Variae interpretationes conciliantur.

tione intelligitur Christus petra, Petrus ecclesia. Haec igitur ecclesia, quam significabat Petrus, quamdiu degit in malis, sequitur Christum in eis qui pro veritate certant usque ad mortem.„ Ad quae expressa illa sunt, quae vetustus auctor sermonis Augustino tributi [1] de verbis Matthaei habet inquiens: „Credendae enim erant Petro Apostolo claves ecclesiae: immo creditae sunt ei claves regni coelorum. Credenda quoque ei erat populorum innumera multitudo, quae esset pro suae naturae vitiis, passionibus, culpis involuta atque peccatis. Denique sic ad eum Salvator dicit: Tibi, inquit, dedi claves regni coelorum. Deinde sequitur dicens: Quaecunque ligaveris super terram . . . videlicet ut in clavibus fidelis janitor, in sententiis esset clementissimus dispensator . . . Quantum igitur divini muneris erga salutem hominum, quantum curae quantumque sollicitudinis impendatur, advertite. Totius corporis morbum in ipso capite curat ecclesiae, et ipso vertice componit membrorum omnium sanitatem, in ipsa confessionis Christi crepidine, in ipso immobilis fidei fundamento, in Petro scilicet illo qui dixerat, Etiamsi me oporteat mori tecum non te negabo.„

Pseudo-Augustinus.

Maximus taurinensis. Beda.

181. Gemina habent Maximus episcopus taurinensis [2] et Beda venerabilis [3] qui Petrum specialiter claves regni coelorum et principatum judiciariae potestatis accepisse affirmat.

182. Verum si tanta latinorum Patrum scriptorumque ecclesiasticorum ante dissidia cum oriente conspiratio erat, non minor illa nascentibus natisque jam illis persistebat. Ejus rei testis est Rhabanus Maurus archiepiscopus moguntinus [4] hunc Christi verbis commentarium subjiciens: „Sed ideo beatus Petrus qui Christum bona fide confessus vero est amore sequutus, specialiter claves regni coelorum et principatum judiciariae potestatis accepit, ut omnes per orbem credentes intelligant, quod quicunque ab unitate fidei vel societatis illius quolibet modo semetipsos segregant, tales

Rhabanus Maurus.

actu, sed esset publica fidei in Christum filium Dei vivi professio: hanc ergo emittens Petrus constitutus fuit ecclesiae petra. Si ergo quidquid verba Christi significant tam immediate quam mediate, tam directe quam indirecte, tam absolute quam relative simul accipiatur, tota et plena et adaequata eorum sententia prodit.

[1] Opp. tom. V. s. LXXIX. n. 1. in append. pp. 144 sq.

[2] De Pet. et Paul. s. V.

[3] De s. Petro homilia.

[4] Opp. p. I. com. in Matth. XVI. l. V. ed. Mign. t. I. p. 992

nec vinculis peccatorum absolvi nec januam possint regni coelestis ingredi.„ Ejusdem testis [1] Petrus Damianus cardinalis et ostiensis episcopus, qui concione eloquentissima mediolanensibus schismaticis persuasit, romanam ecclesiam omnium ecclesiarum principem esse et caput et jure divino romanum pontificem cunctis praeesse. Allato enim Salvatoris oraculo [2] ita disseruit: „Quae autem provincia per omnia terrarum regna dici queat ab hac ditione ac potestate extranea, cujus arbitrio ipsum quoque coelum aperitur et clauditur? Ceteras quidem ecclesias cujuscunque dignitatis exstiterint, ille qui instituit, homo quidem purus est; romanam vero ecclesiam solus ille fundavit et super petram nascentis fidei exstruxit, qui beato clavigero terreni simul et coelestis regni jura commisit. Illius ergo privilegio romanus pontifex fungitur, illius auctoritate fulcitur. Quare quisquis ille est, qui audet principis ecclesiae jus labefactare, haud dubium est injuste illum agere ac sibi male consulere. Nam qui romanae ipsius privilegium ab ipso summo ecclesiarum omnium capite concessum, infringere conatur; is procul dubio in haeresim labitur, fidem quippe violat. Qui ergo adversus illam insurgit, quae mater est fidei, etiam in illum contumax deprehenditur, qui eam cunctis ecclesiis praeesse ac imperare voluit.„

Petrus Damian.

183. A quo eximio romanae ecclesiae encomio insigne illud plane nihil differt, quod in synodo anglica [3] Lanfrancus cantuariensis pronuntiavit: „Nam quando Dominus et Salvator noster Jesus Christus dixit Petro: Tu es Petrus . . . et tibi dabo claves regni coelorum, potuisset adjicere, si voluisset: Eamdem potestatem successoribus tuis concedo; verum dicti praetermissio nihil reverentiae imminuit successoribus Petri. Ibisne his verbis obviam? Referesne adversa? Enimvero omnium christianorum conscientiis est inditum ut nihilo minus quam beato Petro successoribus ejus et minantibus attremant et serenam dignitatem indulgentibus gaudenter applaudant; estque tunc demum omnium ecclesiasticarum rerum rata dispensatio, si successorum beati Petri fuerit compro-

Lanfrancus.

Christiani nominis persuasio de successione romanorum episcoporum in plenam Petri potestatem.

[1] Vide b. Pet. Dam. vit. ex. ms. autog. ap. Faventin. ed. Mign. opp. Pet. Dam. tom. I. p. 153 sq. coll. s. XLI. de s. Bartholom. l. l. c. p. 725. „Nam quod b. Petro Dominus claves regni coelorum speciali quadam voluit traditione committere, hoc propterea factum est, ut unitatem ecclesiae commendaret. Ceterum quidquid uni specialiter dedit, communiter omnibus contulit.„

[2] Matth. XVI. 18 sq.

[3] An. 1072. cf. Mign. tom. 150. pp. 624 sq.

bata judicio. Quid illud agit, nisi vis divinae liberalitatis per Dominum Jesum a beato Petro in vicarios ejus diffusa? Ergo de similibus (vult primatum ecclesiae cantuariensis prae Anglia comprobare) idem pronuntiabis judicium, si dialecticam nosti. Praeterea quod valet in toto valet in parte: quod valet in majori valet in minori. Romana ecclesia quasi totum est omnium, ceterae ecclesiae quasi ejus partes. Sicut enim quodam intuitu homo est genus individuorum suorum, et tamen in unoquoque individuo inest totius hominis tota proprietas: ita quodam respectu sedes romana est genus et totum omnium ecclesiarum; et tamen in unaquaque ecclesia totius christianae fidei tota regnat integritas. Ipsa est major omnium ecclesiarum; et quod in ea valet, debet et valere in minoribus, ut potestas primi cujuscunque ecclesiae principis in succedentes dimanet, nisi si quid personaliter et nominatim excipiatur. Quare sicut Christus dixit omnibus praesulibus romanis quod dixit beato Petro, ita quod dixit Gregorius, omnibus successoribus Augustini dixit in Augustino.„ Praeclarissima rei romanae demonstratio simul ac declaratio: demonstratio quidem ex loco Matthaei: declaratio vero inde desumpta, quod romana ecclesia veluti genus est particularium omnium ecclesiarum, quarum unicuique tota illa inest: qua quidem declaratione Lanfrancus evidenter expressit, veritatem ecclesiae in romana ita esse sitam, ut nonnisi per eam et ab ea particularis alia quaelibet ecclesia dici esseque vera Christi ecclesia possit.

Infertur iudicium de litterali verborum sensu.

184. Sive ergo Scripturarum apud Matthaeum oraculum secundum internos hermeneutices canones enarretur sive secundum canonem interpretationis externum eumque catholicum, hoc manifestum est, verba illa immediato literralique sensu ad Petrum eumque solum referri, cui illorum vi singularis in universam ecclesiam praerogativa atque potestas collata fuit.

Difficultati occurritur.

185. Hinc praeposterum est, eadem verba sensu litterali vel etiam parabolico et juridico ad omnes Apostolos universamque ecclesiam referre. Quodsi vero, uti ex allatis [1] pluribus testimoniis liquet, nonnumquam illa a veteribus ad Apostolos ecclesiamve referrentur, animadverti debet 1. causam ob quam id facerent, a

---

[1] Cf. etiam Em. Schelstrat. antiquit. illustrat. diss. I. c. 2. a. 2. nn. 25 sqq. quibus gallicani Du Pinii argumenta proposita in op. de antiqua eccles. disciplina dissertat. hist. IV. c. 1. egregie profligat.

montanistarum ac novatianorum maxime haeresi esse repetendam, qui negabant plenam ecclesiae clavium potestatem: tum 2. animadverti debet modus quo a Patribus profligarentur: scilicet appellabant ad celebre Matthaei oraculum: rursum 3. exceptio haereticorum, qui eidem oraculo vim tantum personalem tribuerent: 4. solutio orthodoxorum, qui a) potestatem clavium ex aliis praeterea bibliorum testimoniis ostenderent; qui b) potestatem clavium ministerialem atque in perpetuam ecclesiae utilitatem collatam probarent; hinc c) perpetuitatem eamdem potestati Petro commissae assererent; et hoc d) inde vehementer confirmarent, quod quum Petrus visibile ecclesiae totius fundamentum et caput constitutus fuisset, idem pariter archetypus, paradigma et exemplar eorum exsisteret omnium, qui in ecclesia potestate insigniri deberent.

Montanistarum ac Novatianorum haeresis.

186. Jamvero e) hoc sensu verba Domini ad Apostolos ecclesiamve mediate tantum ac typice spectant, simili aliquo pacto quo [1] quae de Abrahamo praedicantur ad omnes credentes traducuntur; verum f) Abraham promissionibus divinitus auctus [2] personam omnium credentium gessit, eosque adeo juridice ut ajunt repraesentavit: repraesentavit autem eos non ex credentium delegatione, sed ex coelesti illa designatione qua pater omnium credentium atque is esset, in quo benedicerentur omnes gentes: fuit ergo ex praerogativa capitis et exemplaris persona juridica, cui credentium omnium promissiones fierent. Ita Petrus ex praerogativa capitis et exemplaris pastorum omnium, persona dicitur juridica, non tamen ex delegatione sive pastorum sive ecclesiae facta, sed divinitus statuta, cui summa et universalis potestas conferretur.

Sensus verborum mediatus ac typicus.

Persona iuridica.

187. Quare g) hoc rursum sensu eoque juridico clavium potestas in Petro Apostolis omnibus ecclesiaeve collata dici potest, qui tamen sensus, secus ac de allata cum Abrahamo comparatione censendum, non est immediatus litteralis, sed mediatus dumtaxat, quatenus scilicet Christus quum Petrum ecclesiae petram, caput, praepositumque faceret universalem, eo simul eum personam constituit, quae non suo tantum personali nomine, sed pro bono universali ideoque pro aliis etiam subordinatis inferioribusque potestatem acciperet necessariam ac utilem ad ecclesiam Dei regen-

Sensus verborum iuridicus idemque mediatus.

---

[1] Collatis Gen. XV. 6. Rom. IV. 3—23.

[2] Spectatis Gal. III. 9 sqq.

dam. Sed his collata Petro clavium potestas non imminuitur sed sarta tecta servatur.

c) Patres de Joan. XXI. 15 sqq.

188. Jamvero 3. idipsum quod de oraculo Domini apud Matthaeum demonstratum dedimus, valet pariter ex iisdem fontibus, tum de eo quod apud Lucam XXII. 31 sq. legitur, et de quo uberius quando de romani episcopi dotibus dicemus, cum de eo, quod apud s. Joannem [1] habetur, cuius exploratus est maiorum commentarius. Verba, quibus Dominus Petro cum agnos tum oves pascendas tradit, ad unum pertinere Simonem insignem jam Petri appellatione, et hunc iisdem constitui totius dominici gregis supremum ac universalem pastorem, neque obvium illorum examen neque ea dubitare sinunt, quibus illa superius [2] illustravimus. Sed neque dubitare nos sinunt, quae ex majorum luculentissima hujus testimonii explicatione partim jam attulimus [3], partim paucis modo afferemus, e quibus discemus, uni Petro pastori summo universum ovile dominicum concreditum fuisse, ita ut non gregis tantum oves, verum ipsi quoque pastores suae curae ac praefecturae essent commissae.

Ad unum Petrum spectant.

Uni Petro totum ovile creditur.

Chrysostomus.

189. Ita diserte [4] Chrysostomus: „Cum enim comedendi finem fecissent, dicit Jesus Simoni Petro: Simon Jonae diligis me plus his? Dicit ei: Etiam Domine, tu scis quia amo te. Dicit ei: Pasce oves meas. Et cur aliis praetermissis, de his hunc alloquitur? Eximius erat inter Apostolos, discipulorum, et coetus illius caput. Ideo Paulus prae aliis hunc visurus venit simul ostendens ei, opor-

---

[1] Joh. XXI. 15 sqq.

[2] Cf. c. III. 5. c. IV. c.

[3] Ibid.

[4] In Joh. hom. LXXXVIII. n. 1. *Ἐπειδὴ γὰρ τέλος εἶχεν αὐτοῖς τὰ τῆς ἐδωδῆς, λέγει τῷ Σίμωνι Πέτρῳ ὁ Ἰησοῦς. Σίμων Ἰωνᾶ ἀγαπᾶς με πλέον τούτων; λέγει αὐτῷ. ναὶ κύριε, σὺ οἶδας ὅτι φιλῶ σε. λέγει αὐτῷ· βόσκε τὰ πρόβατά μου. καὶ τί δήποτε τοὺς ἄλλους παραδραμὼν τούτῳ περὶ τούτων διαλέγεται; ἔκκριτος ἦν τῶν ἀποστόλων καὶ στόμα τῶν μαθητῶν, καὶ κορυφὴ τοῦ χοροῦ. Διὰ τοῦτο καὶ Παῦλος ἀνέβη τότε αὐτὸν ἱστορῆσαι παρὰ τοὺς ἄλλους. ἅμα δὲ καὶ δεικνὺς αὐτῷ, ὅτι χρὴ θαρρεῖν λοιπὸν, ὡς τῆς ἀρνήσεως ἐξεληλαμένης ἐγχειρίζεται τὴν προστασίαν τῶν ἀδελφῶν, καὶ τὴν μὲν ἄρνησιν οὐ προφέρει, οὐδὲ ὀνειδίζει τὸ γεγονός, λέγει δὲ ὅτι εἰ φιλεῖς με προΐστασο τῶν ἀδελφῶν, καὶ τὴν θερμὴν ἀγάπην ἣν διὰ πάντων ἐνεδείκνυσο, καὶ ἐφ' ᾗ ἠγαλλιάσω, νῦν δεῖξον καὶ τὴν ψυχὴν ἣν ἔλεγες θήσειν ὑπὲρ ἐμοῦ, ταύτην ὑπὲρ τῶν προβάτων ἐπίδος τῶν ἐμῶν.*

tere deinceps fidere quasi abolita negatione, fratrum ei praefecturam committit; neque negationem commemorat vel exprobrat. Dicit autem, si amas me, fratrum praefecturam suscipe, et ferventem illum amorem, quem semper exhibuisti, et de quo exultabas, nunc ostende; animamque illam quam te pro me daturum esse dicebas, da pro ovibus meis.„ Non fuerunt ergo Petro reliqui Apostoli in omnibus aequales, sed eorum ipsorum Petrus praefecturam divinitus accepit. Hinc idem eloquentissimus orator [1] ad interrogationem „Cur ergo Jacobus Jerosolymorum thronum accepit?„ Respondet: „Petrum non throni hujus, sed totius orbis doctorem a Christo statutum fuisse.„

Fratrum praefectura Petro confertur.

190. Sed quemadmodum priorem Chrysostomi sententiam de universali Petri pastoratu repetit Theophylactus [2]; ita illius postremam sententiam ad haec plane expressam putares quae apud Origenem [3] reperimus: „Ubique verbum judicare dicitur pro docere . . . . Virum autem heic judicantem gentes Petrum dicit, qui mundum universum docuit Christi fidem ac religionem.„

Theophylactus.

Origenes.

191. Sed luculentiora, quaeque una multorum suffragium complectuntur, flagitari vix possunt, quam quae epistola ab episcopis orientalibus [4] ad Symmachum episcopum romanum data continentur: „Non enim ignoras, ita illi successorem principis Apostolorum adloquuntur, ejus ingenium, qui quotidie a sacro doctore tuo Petro doceris, oves Christi per totum habitabilem mundum creditas tibi pascere non vi sed sponte coactas, qui cum doctissimo Paulo [5] clamas nobis subjectis et dicis: Non enim dominamur vobis in fide, sed cooperamur in gaudio.„ Quae si magnifica et splendida sunt, ea tamen non vincunt, quae in libello supplici in romano concilio pontifici Martino I. oblato Stephanus edixit [6] reverendissimus do-

Episcopi orientales.

Episcopi romano praesuli subiecti.

Stephanus dorensis.

[1] Ibidem p. 527. B—C: *Εἰ δέ λέγοι τις, πῶς οὖν ὁ Ἰάκωβος τὸν θρόνον ἔλαβε τῶν Ἱεροσολύμων; ἐκεῖνο ἂν εἴποιμι, ὅτι τοῦτον οὐκ τοῦ θρόνου, ἀλλὰ τῆς οἰκουμένης ἐχειροτόνησε διδάσκαλον.*

[2] In Joh. XXI. 15 sqq. de quo loco vide pariter Cyrill. hieros. Catech. XIV. n. 24.

[3] In Proverb. ap. Mai N. PP. Bib. t. VII. p. II. p. 53. *Ἐν παντὶ τὸ κρίνειν διδάσκειν λέγεται . . . Ἄνδρα δὲ ἐνταῦθα κρίνειν ἔθνη τὸν Πέτρον φησί, τὸν τὴν οἰκουμένην διδάξαντα τὴν εἰς Χριστὸν πίστιν καὶ εὐσέβειαν.*

[4] Ap. Mansi conc. coll. tom. VIII. pp. 221 sq.

[5] II Cor. I.

[6] Conc. lat. sub Mart. I. ap. Hard. conc. coll. tom. III. pp. 712 sqq. *Ἐν τούτοις πᾶσιν τὴν καθολικὴν ἐκκλησίαν ταράξαντες . . . ποτὲ μὲν ὕδωρ τῇ κε-*

rensis episcopus: „Universam catholicam ecclesiam in his (quae ad voluntatem operationemque divinitatis et humanitatis in Christo spectant) conturbantibus memoratis viris (Theodoro pharanitano, Cyro alexandrino, Sergio constantinopolitano nec non Pyrrho et Paulo) . . . aliquando quidem aquam capiti, et oculis fontes lacrymarum exquirebamus ubique omnes fideles hujusmodi miseram calamitatem plorantes; aliquando autem pennas columbae secundum beatum David, ut volemus et annuntiemus haec omnia omnium praepositae sedi, dico autem summae vestrae et principali ad medicinale consultum emersi vulneris: quippe quoniam hoc potestative olim et ab antiquitus facere per apostolicam sive canonicam consuevit auctoritatem: dum aperta lucubratione non solum claves regni coelorum traditae sunt ei, atque ipse tantummodo ad aperiendum eas fidelibus quidem digne, minime autem evangelio gratiae credentibus juste claudere magnus secundum veritatem et princeps Apostolorum meruit Petrus: sed etiam et pascere primus est jussus oves catholicae ecclesiae cum Dominus [1] dicit: Petre amas me? Pasce oves meas. Et iterum [2] ipse praecipue ac specialiter firmam prae omnibus habens in Dominum Deum nostrum et immutabilem fidem, convertere aliquando et confirmare exagitatos consortes suos et spirituales meruit fratres: utpote dispensative super omnes ab ipso qui propter nos incarnatus est Deus, potestatem accipiens et sacerdotalem auctoritatem.„ Atqui vel his amplissimae orientalis ecclesiae doctrina sentiendique ratio de prae-

Romana sedes praeposita, summa, principalis.

Petrus pastor catholicae ecclesiae.

φαλῇ καὶ τοῖς ὀφθαλμοῖς πηγὰς δακρύων ἐπεζητοῦμεν τῆς ἐλεεινῆς συμφορᾶς· ποτὲ δὲ πτέρυγας περιστερᾶς κατὰ τὸν θεῖον Δαβίδ, ἵνα πετασθῶμεν καὶ διαναγγέλλωμεν ταῦτα τῇ πασῶν ἀρχούσῃ καθέδρᾳ, λέγω δὲ τῇ καθ' ὑμᾶς κορυφαίᾳ καὶ ὑπερφυεῖ, πρὸς τὴν τοῦ σύμπαντος ἴασιν τραύματος· ἐπειδὴ τοῦτο πράττειν ἐξουσιαστικῶς, ἄνωθεν καὶ ἐξ ἀρχῆς ἐξ ἀποστολικῆς ἤτοι κανονικῆς εἴωθεν αὐθεντίας· διότι προδήλως οὐ μόνον τὰς κλεῖς τῆς τῶν οὐρανῶν πιστευθῆναι, μόνος παρὰ πάντας εἰς τὸ ἀνοίγειν, ταύτας καὶ κλείειν ἀξίως μὲν τοῖς πιστεύουσιν, ἐκδίκως δὲ τοῖς ἀπιστοῦσι τῷ εὐαγγελίῳ τῆς χάριτος, ὁ μέγας ἀληθῶς καὶ κορυφαῖος τῶν ἀποστόλων ἠξίωται Πέτρος· ἀλλ' ὅτι καὶ ποιμαίνειν πρῶτος ἐπετράπη τὰ πρόβατα πάσης τῆς καθολικῆς ἐκκλησίας. Πέτρε γάρ, φησι, φιλεῖς με; ποίμαινε τὰ πρόβατά μου· καὶ μέντοι πάλιν κατ' ἐξαίρετον ἰδιοπροσώπως αὐτὸς βεβαιοτέραν ἔχων ὑπὲρ πάντας τὴν εἰς αὐτὸν τὸν κύριον ἡμῶν καὶ ἀμετάτρεπτον πίστιν, ἐπιστρέψειν ποτὲ καὶ ὑποστηρίζειν σαλευομένους τοὺς ὁμοταγεῖς αὐτῷ καὶ πνευματικοὺς ἀδελφοὺς οἷα προνοητικῶς ἐπὶ πάντων αὐτῶν ἐξ αὐτοῦ τοῦ δι' ἡμῶν σαρκωθέντος θεοῦ τὸ κῦρος κεκοσμημένος, καὶ τὴν ἱερατικὴν αὐθεντίαν.

[1] Joh. XXI.

[2] Luc. XXII. 34.

rogativis a Christo Petro perque eum romanae sedi ac cathedrae collatis extra omne ponitur dubium, vel desunt quibus omnis tergiversandi locus praecludatur.

192. Idipsum vero de occidentis doctoribus repetendum esse post tot clarissima eorum testimonia quibus usi jam sumus nemo nisi praefracte negabit. Ut tamen quamvis non nova rem ipsam si spectes, alia tamen consideratis verborum complexionibus, quum nova id nunc oblata occasio postulet, proferamus: in medium progrediatur primus quem ex lingua quidem orientalem putabis, ex geographia vero latinis accensebis, Theophanes inquam Cerameus Tauromenii in Sicilia archiepiscopus, qui de Petro ita [1] praedicabat: „Petrus autem discipulorum apex communis lingua discipulorum exsistit: et supra omnia sensilia mente sublatus, aëra transvolavit, supergressus est aethera, infra se astra reliquit, supremam etiam praetervectus est sphaeram, et cum sejunctis a materia mentibus immixtus, et igneos Seraphim fluvios transcendens et a Patre de clarissima generatione Unigeniti edoctus theologicam illam extulit vocem: tu es Christus filius Dei vivi: . . . unde dignus est habitus quem beatum Dominus praedicaret: — Tu, inquit, qui petra es, petra fies fidei verbi, et constituendae ecclesiae fundamentum, et spiritalis aedificii primus aditus. In hac enim confessione, qua me hominem eumdem et Deum esse confessus es, in hac inquam stabilietur ecclesiae fundamentum . . . Et tibi dabo claves regni coelorum: non ait do tibi claves, sed dabo: tempus scilicet

Theophanes Cerameus.

---

[1] H. LV. in evang. domin. ed. Paris. 1644. pp. 373 sqq. *Πέτρος δὲ ἡ ἀκρότης τῶν μαθητῶν, κοιτὴ τῶν συμφοιτητῶν γίνεται γλῶσσα· καὶ τῷ λογισμῷ τῶν αἰσθητῶν πάντων ὑπεραρθεὶς διέπτη τὸν ἀέρα, παρῆλθε τὸν αἰθέρα, κάτω λέλοιπε τοὺς ἀστέρας, ὑπεράνω γέγονε τῆς ἀνάστρου σφαίρας· καὶ μετὰ τῶν ἀΰλων γενόμενος καὶ τοὺς πυρίνους τῶν Σεραφὶμ ὑπερβὰς ποταμοὺς καὶ μυηθεὶς παρὰ τοῦ πατρὸς τοῦ μονογενοῦς τὴν εὐγένειαν, τὴν θεολογικὴν ἐκείνην ἀφῆκε φωνήν· σύ εἶ ὁ Χριστὸς ὁ υἱὸς τοῦ θεοῦ ζῶντος . . . διὸ καὶ τοῦ δεσποτικοῦ μακαρισμοῦ γέγονεν ἄξιος . . . . σύ, φησι, Πέτρος ὢν πέτρα γενήσῃ τῆς κατὰ λόγον πίστεως καὶ τῆς ἑδραζομένης ἐκκλησίας θεμέλιος, καὶ πρώτη τῆς πνευματικῆς οἰκοδομῆς ἀφορμή· ἐπὶ τῇ ὁμολογίᾳ γὰρ ταύτῃ, ᾗ ὁμολόγησας τὸν αὐτὸν εἶναί με υἱὸν θεοῦ καὶ υἱὸν ἀνθρώπου, ἐπὶ ταύτης τῆς ἐκκλησίας ὁ θεμέλιος στήσεται . . . καὶ δώσω σοι τὰς κλεῖς τῆς βασιλείας τῶν οὐρανῶν· οὐκ εἶπε· δίδωμί σοι νῦν, ἀλλὰ δώσω σοι, τὸν μετὰ τὴν ἀνάστασιν προλέγων καιρὸν καθ' ὃν αὐτῷ καὶ τὴν χάριν τοῦ ἁγίου πνεύματος δέδωκε, καὶ τὴν ἐξουσίαν τοῦ δεσμεῖν καὶ λύειν, καὶ τῶν λογικῶν προβάτων ἀγελάρχην ἐχειροτόνησεν· ἀλλὰ τίνες αἱ κλεῖδες, θυρῶν δὲ ποίων κλειδοῦχος ὁ Πέτρος καθίσταται; θύρα μὲν αὐτός ἐστιν ὁ Χριστὸς ὁ εἰπών· ἐγώ εἰμι ἡ θύρα· κλεῖς δὲ ταύτης τῆς θύρας ἡ πίστις, ἣν ἐγχειρίζει τῷ κορυφαίῳ ὁ κύριος.*

illud post resurrectionem futurum praedicens, quando et sancti Spiritus gratiam illi impertitus est, et potestatem ligandi atque solvendi promisit, et rationabilibus ovibus pastorem praefecit. Verum quae claves hae, quarum portarum claviger constituitur Petrus? Porta haec Christus est ipse qui dixit: Ego sum ostium; ejus vero clavis est fides, quam Dominus discipulorum coryphaeo committit: Dat igitur Petro et successoribus claves, ut haereticis quidem impervia et impenetrabilis sit janua regni coelestis: fidelibus vero ad eam pateat aditus„ . . . Atque similia repetit non semel cum in eodem [1] sermone, tum in aliis [2]: scilicet „Petrum ovibus ratione praeditis praeficiendum solvendi ligandique potestatem accepisse„: „ostendisse Salvatorem, se illum ipsum ecclesiae fundamentum et rationabilium ovium pastorem et discipulorum suorum principem proponere„: „linguam Petri quam negatio contaminarat, per confessionem a Christo sanctificatam atque a crimine purgatam; ceteris discipulis fidem factam, de suo gradu non decidisse coryphaeum illum apostolicae dignitatis et ordinis; factam illi promissionem impletam: dabo tibi claves . . . Simon Joannis diligis me?„ Et hinc est quod, „reparato negationis lapsu constitutum Petrum affirmet [3] pastorem primum eumque principem pastorum pone sequentem.„

Joh. XXI. implementum promissionis apud Matth. XVI.

193. Jamvero quae Theophanes in occidente orientali idiomate expressit, eadem uno latinorum ore praedicantur ac docentur. Praedicantur [4] a Gregorio M., qui Petrum divina dispositione cunctae ecclesiae praelatum, ceteris praepositum ecclesiaeque pastorem constitutum dicit. Praedicantur [5] a Maximo episcopo taurinensi, frequenti praerogativae Petri encomiologo: „Hic est Petrus,

Gregorius M. Petrus cunctae ecclesiae praelatus.

Maximus taurinensis.

---

[1] Ibid. pp. 376 sqq. *Οὗτος ἔμελλε τῶν λογικῶν προβάτων τὴν προστασίαν εἰσδέξασθαι καὶ λύειν καὶ τοῦ δεσμεῖν τὴν ἐξουσίαν λαβεῖν.*

[2] H. XXXVII. in ev. dom. ib. p. 258. A—B. *Δείκνυσιν ὁ σωτὴρ ὡς θεμέλιον τῆς ἐκκλησίας καὶ ποιμένα τῶν λογικῶν προβάτων καὶ κρηπῖδα τῶν μαθητῶν αὐτοῦ αὐτὸν ἐκεῖνον προβάλλεται:* Paulo post: B—C. *Ἁγιάζει τοῦ Πέτρου διὰ τῆς ὁμολογίας τὴν γλῶτταν, ἣν ἡ ἄρνησις ἔχρανεν, ἀνακαθαίρων αὐτὴν τοῦ ἐγκλήματος. βεβαιοῖ τοὺς λοιποὺς τῶν μαθητῶν, ὡς οὐκ ἐξέπεσεν ὁ κορυφαῖος τῆς ἀποστολικῆς ἀξίας καὶ τάξεως· πληροῖ τὸ ἐπάγγελμα ὅπερ αὐτῷ ἐπηγγείλατο. δώσω σοι τὰς κλεῖς . . . Σίμων Ἰωνᾶ ἀγαπᾷς με.*

[3] Ibid. p. 261. C—D. *Ἐπειδὴ τὸ τῆς ἀρνήσεως πτῶμα διὰ τῆς ὁμολογίας ἀπεσκευάσατο καὶ ποιμενάρχης ἐκεχειροτόνητο . . . νῦν γάρ σε δεῖ μᾶλλον ἀκολουθεῖν καὶ κατόπιν τοῦ πρώτου ποιμένος βαδίζειν διὰ μιμήσεως.*

[4] In ev. l. II. hom. XXII. n. 4.

[5] Hom. LXVIII. in nat. bb. Pet. et Paul. apost. I. p. 219.

inquit, cui Christus Dominus communionem sui nominis [1] libenter indulsit. Ut enim sicut Apostolus Paulus [2] edocuit, petra erat Christus, ita per Christum Petrus factus est petra dicente ei [3] Domino: Tu es Petrus . . . Nam sicut in deserto dominico sitienti populo aqua fluxit [4] e petra, ita universo mundo perfidiae ariditate lassatim de ore Petri fons salutiferae confessionis emersit. Hic est Petrus, cui Christus ascensurus ad Patrem pascendas oviculas suas agnosque commendat [5], ut quos ille pietatis miseratione redemerat, hic fidei suae virtute servaret. Et recte sane ei arbiter occultorum Dei Filius pascendas oves tuendasque commisit, cui noverat in nutriendo grege dominico nec studium deesse nec fidem.„ *Communio nominis a Christo indulta Petro.*

194. Quae autem illi gravissimo sermonum genere inculcarunt, ea leviori stylo perstrinxit [6] Arator subdiaconus his versibus: *Arator.*

Primus apostolico, parva de puppe vocatus,
Agmine Petrus erat, quo piscatore solebat
Squamea turba capi; subito de littore visus,
Dum trahit, ipse trahi meruit; piscatio Christi
Discipulum dignata rapit, qui retia laxet
Humanum captura genus: quae gesserat hamum,
Ad clavem est translata manus, quique aequoris imi
Ardebat madidas ad littora vertere praedas,
Et spoliis implere ratem, melioribus undis
Nunc alia de parte levat, nec deserit artem,
Per latices sua lucra sequens, cui tradidit agnus,
Quas passus salvavit oves, totumque per orbem
Hoc auget pastore gregem, quo munere summus
Surgit, et, insinuans divina negotia, coram
sic venerandus ait.. —

195. Consideranda eadem proponit [7] s. Bernardus ad Eugenium scribens: „Tu es cui claves traditae cui oves creditae sunt. Sunt quidem et alii coeli janitores et gregum pastores: sed tu tanto gloriosius, quanto et differentius utrumque prae ceteris nomen haereditasti. Habent illi sibi assignatos greges, singuli singulos: tibi universi crediti, uni unus. Nec modo ovium, sed et *Bernardus.* *Grex unus uni Petro creditus.*

[1] Similia repetit hom. CXIV. increpat. pop. de absent. ab eccles.
[2] I Cor. X.
[3] Matth. XVI. 18 sq.
[4] Exod. XVII.
[5] Joh. XXI.
[6] De Act. Apost. l. I. vv. 69 sqq.
[7] De considerat. l. II. c. 8.

Petrus pastor pastorum.

pastorum tu unus omnium pastor. Unde id probem quaeris? Ex verbo Domini. Cui enim, non dico episcoporum, sed etiam Apostolorum sic absolute et indiscrete totae commissae sunt oves? Si me amas, Petre, pasce oves meas. Quas? Illius vel illius populos civitatis, aut regionis aut certi regni? Oves meas, inquit. Cui non planum, non designasse aliquas, sed assignasse omnes? Nihil excipitur, ubi distinguitur nihil.„

Anselmus.

196. Eadem sincero cordis affectu complectitur [1] s. Anselmus orans: „Sancte et benignissime Petre, fidelis pastor ovium, princeps tantorum principum, qui ligas et solvis quod vis, qui sanas et resuscitas quem vis, qui das regnum coelorum cui vis. Magne Petre, magne tot et tantis donis ditate... respice benigne pastor commissi tibi gregis ovem... tibi ter confitenti dixit, Pasce oves meas... Petre pastor Christi recollige ovem Christi... O sancte Petre, si te non movet nomen pastoris et ovis; moveat te nomen Apostoli, principis Apostolorum et nomen christianae animae.„ Atqui lex orandi statuit legem credendi. De qua lege ut superiora [2] dubitare non permittunt, ita non sinunt, quae unanimi voce praescribunt maximi Pontifices.

Princeps tantorum principum Petrus.

Gelasius.

197. Non sinunt quae Gelasius scribit [3] cum ad alios, tum ad Honorium Dalmatiae episcopum: „Pro sedis apostolicae moderamine totius ovilis dominici curam sine cessatione tractantes, quae beato Petro Salvatoris ipsius nostri voce delegata est: Et tu [4] conversus confirma fratres tuos. Et item: Petre amas me? Pasce oves meas. Et [5] iterum ad Aeonium arelatensem episcopum:„ Quanto enim totius ovilis curam Christo Domino delegante, susceptam b. Petri Apostoli gubernatio principalis universo gregi debet in orbe terrarum, tanto pietatis affectu cunctas ecclesias earumque rectores ampletitur, et inter diversos mundi turbines si paterna fide vel traditione firmiter perseverant, ubi primum facultas arriserit, et quaerit anxia et gavisa cognoscit.

Sedis romanae apostolicae est moderamen totius dominici ovilis.

Mandatum Domini Lucae XXII.

Totius ovilis cura eaque principalis a Christo Domino delegata Petro.

Leo M.

198. Non sinunt quae disseruit [6] Leo M. postquam ecclesiam

---

[1] Or. LXIV. al. LXV. ad s. Pet. Ap. opp. ed. Mign. tom. I. p. 288.

[2] Videsis allata decreta et canones Conciliorum atque Pontificum.

[3] Ep. V.

[4] Luc. XXII.

[5] Ep. XII.

[6] S. IV. (al. III.) de nat. ips. c. 4. Videsis allata superius, tum s. LXXIII. de ascens. Dom. c. 2.

universam uni Petro commissam perhibuit: „Cum itaque, dilectissimi, tantum nobis videamus praesidium divinitus institutum, rationabiliter et juste in ducis nostri meritis et dignitate laetamur, gratias agentes sempiterno regi redemptori nostro Domino Jesu Christo, quod tantam potentiam dedit ei quem totius ecclesiae principem fecit, ut si quid etiam nostris temporibus recte per nos agitur, recteque disponitur, illius operibus, illius sit gubernaculis deputandum cui dictum [1] est: Et tu conversus confirma fratres tuos; et cui post resurrectionem suam Dominus ad trinam aeterni amoris professionem mystica insinuatione ter dixit: Pasce oves meas.„

Totius ecclesiae princeps Petrus.

Voluntas Christi Lucae XXII.

199. Neque sinunt quae laudatus iam scribit [2] Gregorius M.: „Cunctis enim evangelium scientibus liquet, quod voce dominica sancto et omnium Apostolorum Petro principi Apostolo totius ecclesiae cura commissa est, ipsi quippe dicitur: Petre amas me? Pasce oves meas...„

Gregorius M.

200. Non sinunt quae Hadrianus I. ad Tarasium patriarcham constantinopolitanum [3] scripsit, quaeque in septima synodo universali cum applausu lecta fuerunt: „Cujus (Petri) sedes per totum terrarum orbem primatum obtinens lucet, omniumque ecclesiarum Dei caput exsistit; unde et ipse b. Petrus Apostolus Dei jussu ecclesiam pascens nihil omnino praetermisit, sed ubique principatum obtinuit et obtinet...„

Hadrianus I.

Petri sedes per totum orbem tenet primatum.

Petrus pascit ecclesiam.

201. Neque tandem sinunt, quae ad Rufum thessalonicensem scripsit [4] Bonifacius I.: „Pastor dominicarum ovium est perpetuo constitutus (Petrus)... in quo universalis ecclesiae positum legimus fundamentum.„

Bonifacius I.

Pastor dominicarum ovium perpetuus.

202. At enimvero ex his quae adduximus omnibus ad evidentiam usque constat universam ecclesiasticam antiquitatem utriusque plagae orientalis non minus quam occidentalis in eamdem jugiter convenisse explicationem, qua tria Christi Salvatoris oracula ad Petrum directa, de singulari et unica interpretaretur excel-

Infertur auctoritate traditionis unanimis romani Pontificis praerogativa.

---

[1] Luc. XXII.
[2] L. V. ep. 20. al. regest. l. IV. ep. 32. ad Mauric. Aug.
[3] Synod. VII. act. 2.
[4] Int. Holsten. ep. VII.

lentia ac praerogativa, quibus Dominus prae omnibus Apostolis Petrum et prae omnibus episcopis romanae ecclesiae antistitem distinctum voluit atque evectum.

Nomenclatura Petri eiusque successorum.

203. Et haec est manifesta ratio et unica ob quam usu loquendi universim tam apud graecos quam apud latinos ecclesiae scriptores recepto Petrus Apostolus cum successoribus suis, exsortibus plane nominibus ac titulis prae omnibus particularium ecclesiarum praesulibus discriminetur. Ut enim praeter multos ac multa quae in medium adduximus, rursum suffragiis Veterum utamur, modo Petrum appellant [1] Apostolorum *τὸν πρῶτον*, *τὸν μέγιστον*, *τὸν μέγαν κατ' ἐξοχὴν*, principem, maximum, fortissimum, primum, et quidem primum in apostolatus culmine: modo eumdem nuncupant [2] *τὸν κορυφαῖον τῶν ἀποστόλων καὶ τῆς ἀποστολικῆς ἀξίας*, coryphaeum Apostolorum dignitatisque apostolicae: modo eum discipulorum honoratissimum [3] appellant: modo illum velut praelectum admirabilemque, *τὸν πρόκριτον* et *τὸν θαυμάσιον τὸν πανένδοξον*, *πανάγιον*, [4] distinguunt: vocant [5] eum ducem Aposto-

---

[1] Cf. Origen. in Joh. t. IV. n. 5. p. 413, Euseb. H. E. l. II. c. 14, Epiphan. in Ancor. n. 9. Theodoret. in Genes. c. XLIX. p. 115, Theophan. Ceram. H. LV. p. 377; Maxim. M. in Script. q. XXVII. opp. tom. I. pp. 66 sq. Hilar. diac. app. t. IV. Ambros. ed. Mign. pp. 229, 320; Gregor. M. in Ezech. l. II. hom. XXII. n. 9. Arator. hist. act. ap. vv. 160. 966. 1225. et apud reliquos latinos omni passu.

[2] Epiphanius haer. LIX. n. 7. t. I. l. II. Theodoret. in Ps. II. t. I. pp. 617, 622; in Is. t. II. c. LV. p. 398; in Dan. c. IX. p. 1242; in Zach. c. XIV. p. 1663. et porro t. III. pp. 160, 168, 244. — Isidor. pelus. epp. l. I. ep. 142. p. 44. l. II. ep. 58. p. 148. ep. 99. p. 157. l. IV. ep. 146. p. 508. Basil. seleuciens. or. XVII. n. 1. p. 97. Theodor. stud. refut. poëm. iconom. XIX. p. 467. ed. Mign. epp. l. II. ep. 72. p. 1303, 1306. ep. 146. p. 1459. Theophan. Ceram. hom. XXXVII. p. 258. hom. LIV. p. 367. hom. LV. p. 377. Nicet. byzant. pro conc. chalced. ap. Allat. Graec. orth. t. I. p. 667. et qui ante alios nominandi erant, Cyrill. alex. explanat. in Luc. c. XXII. ap. Mai N. PP. Bib. tom. II. p. 420. et Chrysost. cum alibi tum in Matth. XVI. 18. hom. LV. al. LIV. non semel sed iterum ac tertio, de quo supra ad h. l.

[3] *Τὸν τιμιώτατον τῶν μαθητῶν.* Nazianzen. or. XIX. p. 372. A—B. coll. Orig. in Joh. t. IV. n. 5. p. 413.

[4] Cyrill. alex. in Joh. l. XII. t. IV. p. 1064. E. *ὁ τῶν ἁγίων μαθητῶν πρόκριτος Πέτρος*: coll. de Trint. dial. IV. t. V. p. I. p. 507. idem rursum explanat. in Luc. XXII. ap. Mai N. PP. Bib. t. IV. p. 421. *τῷ θαυμασίῳ Πέτρῳ*, tum Didym. in Ps. XV. ap. Mai ib. tom. VII. p. II. p. 178. *ὁ πρόκριτος Πέτρος*, Maxim. M. in Script. q. XXVII. opp. tom. I. pp. 64, 66. et Theophanes Ceram. hom. LV. p. 377. atque latinorum nomine qui Petrum omnibus praelatum testetur sit Ambrosius expos. ev. sec. Lucam l. I. c. 24. p. 1544.

[5] Epiphan. haer. LI. n. 17. t. I. l. II. Joan. Dam. de transfig. Dom. N.

lorum ac primatem discipulorum, *ἀρχηγὸν τῶν αὐτοῦ μαθητῶν, πρόταρχον τῶν λοιπῶν ἀποστόλων, κορυφαιότατον καὶ προστάτην τῶν ἀποστόλων*: praeterea eum insigniunt [1] nomine capitis fastigiique Apostolorum: tandem describunt eum, ut qui fuerit [2] Apostolorum os, ecclesiae [3] forma, regni coelorum [4] claviger, singulari munere [5] remuneratus, cui *τὰ μέγιστα* [6] summa credita, qui sit fidei [7] firmitas nec non ecclesiae vertex et fundamentum, episcoporum [8] primas, pastor et doctor [9] oecumenicus ecclesiaeque antistes, cui Dominus et Magister [10] supremus suum commune fecit nomen, in quem suam derivavit [11] firmitatem, quem totius ecclesiae constituit moderatorem, quemque particularium suarum ecclesiarum [12] omnium curam suscipere voluit. Quae vix non

---

J. C. n. 1. Theodor. studit. epp. l. II. ep. 139. p. 1443. et Cyril. hieros. catech. II. n. 19. XI. n. 3. XVII. 27.

[1] Gregor. naz. carm. theol. I. II. sec. 1. carm. XII. de seipso v. 222. *Πέτρος μαθητῶν ἄκρος*, Maxim. M. l. c. p. 66. *ἡ τῶν ἀποστόλων ἀκρότης, ἡ μεγάλη τῆς ἐκκλησίας κριπίς*, et Theoph. Ceram. hom. LV. p. 377. *ἡ ἀκρότης τῶν μαθητῶν*.

[2] Chrysost. hom. LIV. al. LV. in Matth. XVI. 18. l. c. collatis aliis quae ex eius commentariis ad Matth. XVI. et Joan. XXI. attulimus.

[3] Arator hist. act. ap. v. 443. e quibus juxta ea quae explicando enarravimus facile colligitur, quo sensu veteres in Petro dixerint commissas ecclesiae claves, vel in Petro commissas pastoribus oves.

[4] Cyril. hieros. cat. XVII. n. 23. *Τῆς βασιλείας τῶν οὐρανῶν κλειδοῦχος Πέτρος*, Joan. Dam. hom. de transfig. Dom. n. 6.

[5] Orig. in Joh. t. II. n. 29. p. 91.

[6] Greg. naz. or. XXVIII. n. 19. p. 510. B. or. XXXII. p. 991. E.

[7] Greg. naz. or. IX. n. 1. p. 235. B. coll. Orig. in Ex. hom. V. in Joh. t. II. n. 29. Isid. pelus. epp. l. I. ep. 235. Procop. gaz. in Is. c. VIII. pp. 41 sq. Theophan. Ceram. l. c. Evag. scholast. H. E. l. II. p. 290. Ambros. de fid. l. IV. n. 56. de virginit. n. 103. Aug. retract. l. I. c. 21. Leo M. epp. V. X.

[8] Leo M. s. III. c. 4. anniv. assumpt. s.

[9] Conc. chalced. in litt. ad s. Leon. „patriarcham universalem„: Bonifacius I. ad epp. Thessal. Macedon. etc.: Origen. in Proverb. c. XXIX. ap. Mai N. PP. Bib. t. VII. p. II. p. 53. Chrysost. hom. LIV. al. LV. in Matth. XVI. n. 2. Joan. Dam. hom. de transfig. Dom. n. 6. *Ὃν τῇ οἰκείᾳ προγνώσει προώρισε τῆς ἐκκλησίας ἐπάξιον πρόεδρον*.

[10] Maxim. taurin. hom. LXVIII. in nat. bb. Pet. et Paul. coll. hom. XXVII. LXXI. Cassian. de inc. l. III. cc. 12 sqq. Hilar. diac. append. t. IV. Ambros. s. XLIV. n. 2. p. 449.

[11] Maxim. taur. hom. CXIV. coll. hom. LIV. LXIX. coll. Cyrill. de Trin. dial. IV. t. V. p. I. pp. 507 sq. et in Is. l. IV. or. 2. t. II. p. 593. C—E. Chrysost. hom. LV. al. LIV. n. 2. in Matth. XVI. 18.

[12] Hilar. diac. in ep. ad Gal. c. 1. l. c. p. 213. Hincmar. rhem. ep. ad Nicol. pont. c. 3. ap. Flodoard. hist. l. III. Pet. Dam. s. XVI. Joan. Dam.

Joannes Damascenus

omnia simul unus s. Joannes Damascenus complexus [1] est, ubi in rationem inquirens ob quam Deus Petrum labi permisit, eamque in eo sitam cum aliis passim vetustis arbitratur „ut per ea quae passus esset, humaniorem se aliis exhiberet„ hisce coloribus [2] Petrum depinxit: „Petrus regni coelestis claves suscepturus erat, imo eae iam ipsi concreditae fuerant, cuius fidei multitudo populorum committenda esset. Quid enim ait ad ipsum Dominus? Quodcunque ligaveris super terram et sqq. Ac perspicias velim, quemnam virum incidere in peccatum sinat: Petrum illum coryphaeum Apostolorum, firmum fundamentum, infractam petram, scopulum prominentem ecclesiae, portum tranquillum, turrim minime labantem... Petrus qui columna erat, puellae minas non pertulit... Idcirco enim is qui ecclesiae curam suscepturus erat, illud inquam columen ecclesiarum, ille fidei portus, ille orbis terrarum magister Petrus in peccatum labi permissus est, ut venia ipsi concessa benignitatis occasio aliis fieret.„

Infertur christianae antiquitatis sententia.

204. Sed enimvero vel hac appellationum ac nominum, tum descriptionum ac periphrasium complexione prae omnibus omnino reliquis Apostolis discipulisque Petrus distinguitur, vel deest hominum linguae ratio ac modus, aliquem ab aliis propter exsortem auctoritatem dignitatemque discernendi. Et rursum, quousque verbis efferuntur conceptus, loquendi rationi ratio cogitandi respondet, atque in sermone cordatorum hominum ac virorum sapientum aeque atque piorum *ἡ πραγματολογία τῇ ὀνοματολογίᾳ* apta est ac consentanea; eo usque ratum manebit et fixum, intimam insitamque fuisse menti ac persuasioni totius christianae antiquitatis sen-

---

hom. de transfig. D. N. J. C. n. 16. *Ἐκκλησίας παγκοσμίου κατέστησέ σε κοσμήτορα.*

[1] In sacris parallelis tom. II. pp. 591 sq. *Διὰ τοῦτο ἡ θεία χάρις πραγματεύεται πρὸς ὀλίγον αὐτοῦ ἀποστῆναι, ὥστε ἁμαρτήματι περιπεσεῖν τὸν Πέτρον, ἵνα ἐξ ὧν αὐτὸς ἔπαθεν, φιλανθρωπότερος γένηται πρὸς τοὺς ἄλλους.*

[2] Ibidem p. 591. C—D. *Πέτρος ἤμελλεν πιστεύεσθαι τὰς κλεῖς τῆς βασιλείας, μᾶλλον δὲ καὶ ἐπιστεύθη τὰς κλεῖς τῆς βασιλείας τῶν οὐρανῶν, καὶ ἤμελλεν πιστεύεσθαι τὸ πλῆθος τῶν λαῶν. τί γάρ φησιν ὁ δεσπότης πρὸς αὐτόν· ὃ ἂν δέσῃς ἐπὶ τῆς γῆς κ. τ. λ. καὶ βλέπε τίνα συγχωρεῖ περιπεσεῖν ἁμαρτήματι; Πέτρον ἐκεῖνον τὸν κορυφαῖον τῶν ἀποστόλων, τὴν κρηπῖδα τὴν ἀσάλευτον, τὴν πέτραν τὴν ἀῤῥαγῆ, τὸν περίβολον τῆς ἐκκλησίας, τὸν λιμένα τὸν ἀχείμαστον, τὸν πύργον τὸν ἀσάλευτον...* p. 592. A—B—C. *Πέτρος ὁ στύλος οὐκ ἐβάστασεν ἀπειλὴν κόρης.. ὁ τὴν ἐκκλησίαν μέλλων πιστεύεσθαι, ὁ στύλος τῶν ἐκκλησιῶν, ὁ λιμὴν τῆς πίστεως, Πέτρος ὁ διδάσκαλος τῆς οἰκουμένης συνεχωρήθη ἁμαρτῆσαι, ἵνα ἡ συγχώρησις τούτου ὑπόθεσις φιλανθρωπίας τοῖς ἄλλοις γένηται.*

tentiam de Petri inter reliquos Apostolos deque romani episcopo inter reliquos episcopos excellentia eximiaque praerogativa. Porro quum unanimes Majores omnes eadem persuasionis firmitate doctrinae illius stabilitatem in divinae revelationis oracula rejecerint, nihil manifestius, quam hoc doctrinae caput, quod allatis insuper authenticis suo loco [1] documentis comprobavimus, exploratis revelatae veritatis dogmatibus esse connumerandum.

4. Exceptio petita ex Apostolorum aequalitate.

205. Verum, inquis [2], nonne eamdem Apostoli auctoritatem potestatemque recepere divinitus? Fieri ejusmodi exceptionem quaestionemque ab eo posse qui Veterum monumenta non inspexerit, facile est intelligere: sed mirum videri possit, ab illis eam proponi quos scripta Majorum manu diurna atque nocturna versasse putares. Nequeunt enim opera Patrum vel obiter inspici, quin iidem et sensisse difficultatem istam et expendisse et disjecisse penitus deprehendantur. Inter plurima quae longa superius serie attulimus, neque pauca neque obscura latinorum graecorumque scriptorum testimonia recurrunt, e quibus id perspicue liquet. Attamen haud erit abs re, quod quadam copia ex aliis vetustis ecclesiae scriptoribus in medium prolatum fuit, id aliquo velut compendio e gravissimorum ore doctorum repetitum excepisse.

206. Descripta ab Ambrosio [3] Petri diligentia, sollicitudine ac dilectione in Christum, cujus signa alii discipuli numquam prae ipso, numquam soli sine ipso praebuere, ipse vero solus frequenter sine aliis et aliis etiam majora exhiberet, hoc significare pergit, quod a Christo Domino pariter aliis Apostolis praerogativa nulla sine Petro, nulla prae Petro tributa, quod Petro contra et prae aliis et exclusis aliis praerogativa eaque insignis plane collata fuit. „Non est igitur, inquit [4], dubium credidisse Petrum, et credidisse quia dilexit, dilexisse quia credidit. Unde et contristatur, quia et tertio interrogatur, Amas me? Is enim interrogatur de quo dubitatur, sed Dominus non dubitat, qui interrogat non ut disceret, sed ut doceret, quem elevandus in coelum amoris sui *Ambrosius.*

---

[1] Vide c. IV.

[2] Macar. ep. vinnic. l. c. pp. 269 sqq. Cuius tamen exceptionem a Patribus disiectam plus semel indicavimus.

[3] Exposit. evang. sec. Luc. l. X. pp. 1542 sq.

[4] Nn. 175 sq.

Petrus Christi in terris vicarius.

nobis velut vicarium [1] relinquebat. Sic enim habes: Simon Joannis diligis me?... Bene conscius sui non ad tempus assumptum, sed jamdudum Deo cognitum Petrus testificatur affectum. Quis est enim alius, qui de se hoc facile profiteri possit? Et ideo quia solus profitetur ex omnibus, omnibus antefertur; major enim omnibus caritas... Denique tertio Dominus non jam, Diligis me? sed, Amas me? interrogavit; et jam non agnos, ut primo, quodam lacte vescendos, nec oviculos, ut secundo, sed oves pascere jubetur, perfectiores ut perfectior gubernaret.„ Ambrosio ergo doctore non uti aequali sed uti vicario, uti majori perfectiorique omnibus omnes a Christo oves Petro creduntur, creduntur illi directe et immediate [2], atque creduntur oves universae ei soli.

Perfectiores perfectior gubernat.

Augustinus.

207. Neque aliter Augustinus [3], qui ex verbis Cypriani [4] hinc auctoritatem [5] et inde modestiam humilitatemque [6] Petri Apostoli dilaudantis hoc contra donatistarum impietatem argumentum petit: „Ecce ubi commemorat Cyprianus, quod etiam nos in Scripturis sanctis didicimus, Apostolum Petrum in quo primatus Apostolorum tam excellenti gratia praeeminet, aliter quam veritas postulabat de circumcisione agere solitum a posteriore Apostolo Paulo esse correctum.... Si potuit, inquam, Petrus contra veritatis regulam [7] quam postea ecclesia tenuit, cogere gentes judaizare, cur non potuit Cyprianus contra regulam veritatis [8] quam postea tota ecclesia tenuit, cogere haereticos vel schismaticos denuo baptizari? Puto quod sine ulla sui contumelia Cyprianus episcopus Petro Apostolo comparatur, quantum attinet ad martyrii coronam.

In Petro praeeminet Apostolorum primatus.

---

[1] Ecce, Ambrosius Petrum vocat amoris Christi vicarium, quod nomen semper romani episcopi et ornamentum porro et munus officiumque significavit.

[2] Ergo praeposteri sunt qui vi hujus testimonii contendunt, immediate, ex sese, et directe oves Christi omnes commissas sive omnibus ex aequo esse Apostolis sive pastoribus gregis dominici universis.

[3] De baptis. c. donat. l. II. c. 1. n. 2. opp. t. IX. pp. 96 sq.

[4] Ex ep. ad Quint. LXXI.

[5] Potestatem Petri Cyprianus ex verbis Christi apud Matthaeum. XVI. 18. ostendit.

[6] Humilitatem Petri Cyprianus ex iis ostendit quae habentur Gal. II. 11.

[7] Haec tamen regula pertinebat ad externam instituendae vitae *οἰκονομίαν* dumtaxat quae res ea aetate adhucdum erat prudentis consilii cujus conservatio vel immutatio a locorum personarumque adjunctis penderet.

[8] Haec porro regula pertinebat ad *πρᾶξιν* innixam principio theoretico quod revelata veritate continetur.

Ceterum magis vereri debeo, ne in Petrum contumeliosus exsistam. Quis enim nescit illum Apostolatus principatum cuilibet episcopatui praeferendum? Sed etsi distat cathedrarum gratia, una est tamen martyrum gloria.„ Auctore igitur Augustino 1) Petrus eminuit Apostolorum primatu: 2) ejusdem principatus episcopatu quolibet superior est: et 3) cathedra quam fundavit, quaeque ab ipso appellatur atque romana dicitur et est, cathedris aliis omnibus suo charismate [1] praestat.

Principatus Petri cuilibet episcopatui praeferendus

Distat cathedrarum gratia.

208. Qui vero in efferenda primatus romani vi ac indole vere primas exsistit, jure merito Leo M. censetur, qui priorum omnium [2] doctrinam insigni hoc sententiarum splendore complexus est: „Divinae cultum religionis, quem in omnes gentes omnesque nationes Dei voluit gratia coruscare, ita Dominus noster Jesus Christus humani generis Salvator instituit, ut veritas quae antea legis et prophetarum praeconio continebatur, per apostolicam tubam in salutem universitatis exiret sicut scriptum [3] est: In omnem terram exivit sonus eorum et in fines orbis terrae verba eorum. Sed hujus muneris sacramentum ita Dominus ad omnium Apostolorum officium pertinere voluit, ut in beatissimo Petro Apostolorum omnium summo principaliter collocarit, et ab ipso quasi quodam capite dona sua velit in corpus omne manare, ut exortem se mysterii intelligeret esse divini, qui ausus fuisset a Petri soliditate recedere.„ Id quod illico verbis [4] Domini probat, quibus Petrus petra ac soliditas totius ecclesiastici aedificii constitutus fuit. Sed quemadmodum quodvis in ejusmodi oratione incisum significatae rei gravitate excellit, ita tanta dictionis claritate fulget, ut non acies oculorum sed ne lippus penitus sis requiratur ad hoc ut eorum vim clare percipias.

Leo M.

A Petro capite dona Christi in corpus manant.

209. At vero piaculum foret a tanta latinorum luce astra graecorum splendida vel specie tenus sejungere. Quod ne fiat vetat utriusque plagae antiquus concentus, vetat servatus a nobis hucusque usus, et vetat sermonis splendor, quo Asterius amasenus episcopus, cujus diserta auctoritate usi nondum sumus, praecel-

Asterius.

[1] Aperte cathedrae gratia, quatenus a martyrii corona ac gloria distinquitur, censu χαρίσματος venit.

[2] Ep. X. ad epp. per prov. vienn. constit. n. 1.

[3] Ps. XVIII. 5.

[4] Matth. XVI. 18.

lentes Petri dotes [1] de quibus solliciti sumus enarravit: „Dicatur ergo [2] Petrus filius Jonae: cujusnam vero illius, nihil mea refert. Ego namque a filii actis honesto parentem; atque ab imis incipiens ad superiora transmitto laudem, lucernarum instar, quae noctu a solo ac ima domo tecta illuminant. Sane vero Isaias vaticinio ait [3], posuisse Patrem Filium lapidem angularem: nimirum significans, mundi totam concretionem illo fundamento ac basi nixam esse. Quin et rursum vicissim Unigenitus, uti sacris evangelii libris conscriptum est, Petrum ecclesiae fundamentum dicit [4]: Tu es Petrus... Primus enim revera hic ceu grandis quidam ac durus lapis in mundi hujus cava demissus est, sive in convallem plorationis quemadmodum David [5] ait, ut christianos omnes superaedificatos portans in sublime, nempe ad spei nostrae domicilium subvehat. Fundamentum aliud nemo potest ponere praeter id quod positum est [6] quod est Christus Jesus. Sed et

---

[1] Hom. VIII. in ss. Pet. et Paul. ed. Mign. gr. PP. t. XL. pp. 268 sqq. *Λεγέσθω τοίνυν Πέτρος υἱὸς Ἰωνᾶ· τίνος δὲ τούτου, οὐδέν μοι διαφέρει. Ἐγὼ γὰρ ἐκ τῶν πράξεων τοῦ υἱοῦ σεμνύνω τὸν γενησάμενον· καὶ κάτωθεν ἀρξάμενος ἐπὶ τὰ ἄνω παραπέμπω τὴν δόξαν, ὥσπερ οἱ λύχνοι οἱ νύκτωρ ἐκ τοῦ ἐδάφους τοὺς ὀρόφους φωτίζοντες. Ἡσαΐας μὲν οὖν φησι προφητεύων, ὅτι λίθον ἀκρογωνιαῖον ὁ πατὴρ ἔθηκε τὸν υἱὸν ἐνδεικνύμενος, ὡς ἡ πᾶσα τοῦ κόσμου σύστασις ἐκεῖνον ἔχει τὴν ἕδραν καὶ τὴν κρηπῖδα. ὁ δὲ μονογενὴς πάλιν, καθὼς ἐν εὐαγγελίοις φησὶν, θεμέλιον τὸν Πέτρον ὀνομάζει τῆς ἐκκλησίας. Σὺ εἶ Πέτρος ... Πρῶτος γὰρ ἀληθῶς οὗτος, ὥσπερ τις λίθος μέγας καὶ καρτερὸς ἐνερρίφη τῇ τοῦ κόσμου τούτου κοιλότητι ἢ τῇ κοιλάδι τοῦ κλαυθμῶνος, ὥς φησιν ὁ Δαβίδ· ἵνα πάντας χριστιανοὺς ἐποικοδομουμένους βαστάσας ἀναγάγῃ πρὸς τὸ ὕψος, ὅ τῆς ἐλπίδος ἡμῶν ἐστιν οἰκητήριον. Θεμέλιον ἄλλο οὐδεὶς δύναται θεῖναι παρὰ τὸν κείμενον ὅς ἐστιν Ἰησοῦς Χριστός. Τῇ ὁμοίᾳ δὲ κλήσει ὁ Σωτὴρ ἡμῶν καὶ τὸν πρῶτον αὐτοῦ μαθητὴν κατεκόσμησε πέτραν ὀνομάσας τῆς πίστεως.*

[2] Joan. I. 42.

[3] Isai. XXVIII. 16.

[4] Matth. XVI. 18.

[5] Ps. LXXXIII. 7.

Expenduntur I. Cor. III. 11.

[6] I. Cor. III. 11. Ad quae Pauli verba haec animadvertisse iuverit, quae de div. nominib. c. 1. Dionys. areop. adnotat Corderius tom. I. p. 295. „Esse enim fundamentum propriae virtutis et per se, Christo convenit propter divinitatem, quae una et eadem est in tribus personis, quae fecit in ipso Christo, summo lapide angulari, utraque unum, cui convenit esse *αὐτόλιθον*, petram I. Cor. X. Est igitur b. Petrus (ut haereticis nostri temporis occurramus) petra ecclesiae, ut evangelium testatur: non tamen est *αὐτόλιθος* nec *αὐτοπέτρα*, id est per se lapis vel per se petra: neque sic umquam in Scripturis vocatur ut Christus Deus noster, qui sic est *αὐτοθεμέλιος*, id est per se fundamentum, praeter quod per se fundamentum aliud nemo potest

simili quoque Salvator noster appellatione primum suum discipulum honestandum duxit nominans fidei petram.„ Quibus positis fidei ecclesiasticae firmitatem perpetuam contra omnes omnium persequutorum hostiumque impetus ex petrae illius firmitate repetit, quae petra alia nec erat nec est ab ipso Petro. Cujus eximiam praestantiam quum ex ipsa originum christianarum historia enarravit porro [1] sequitur: „Cum autem hoc dico, minime gentium servum cum Domino comparo. Apagesis furentis sensum; sed Deum qui per famulos suos potentiae suae specimen edat, nullum e discipulis suis perinde ac Petrum muneribus locupletasse pronuntio, quin supernis sublimem effectum donis, universis eum praetulisse.„ Neque satis, postquam Petrum summis e V. T. viris majorem ostendit, quod ad maximos N. T. attinet, ita [2] pergit: „Beatus quidem magnus Johannes, qui supra pectus Domini requievit: magnus quoque Jacobus, quippe qui tonitrui filius appellatus sit: praeclarus item honestantibus ipsum honoribus Philippus... omnes nihilominus Petro cedant seque fateantur secundos, si modo gratiarum comparatio honoris praelationem probaverit. Universa sane singillatim contemplans atque considerans, virum hunc deprehendo cum in sermonum disputationibus, tum in operum patratione, ubique similiter reliquo discipulorum choro praesilientem ac praesultantem, idemque vitae stadium currentes pone relinquentem „ Scilicet, quod e rerum naturis prodit, sicut Petrus omnibus praelatus Apostolis auctoritate fuit, ita ante omnes et inter omnes et in omnibus uti primus ac princeps deprehenditur.

---

ponere, sicut Apostolus ait I. Cor. III. de hoc enim per se fundamento loquitur.„

[1] Ibid. p. 274. D. *Τοῦτο δὲ ὅταν λέγω, οὐ τὸν δοῦλον τῷ δεσπότῃ συγκρίνω. Ἀπαγε! Μαινομένου τὸ νόημα· ἀλλ' ὅτι διὰ τῶν ἑαυτοῦ θεραπόντων ὁ θεὸς τὴν ἑαυτοῦ δύναμιν ἐνδεικνύμενος, οὐδένα τῶν μαθητῶν ὡς Πέτρος ταῖς ἰδίαις δωρεαῖς κατεπλούτησεν· ἀλλὰ καὶ πάντων αὐτὸν προύθηκεν, ὑψώσας ταῖς ἄνωθεν δωρεαῖς. Καὶ ὥσπερ πρῶτος μαθητὴς καὶ μείζων τῶν ἀδελφῶν ἐπὶ τῆς πείρας τῶν πραγμάτων ἐδείχθη τῇ δυνάμει τοῦ Πνεύματος.*

[2] Ib. pag. 277. C. *Ζηλωτὸς μὲν οὖν καὶ μέγας Ἰωάννης, ἐπὶ τῶν τοῦ κυρίου στέρνων ἀναπαυόμενος· μέγας καὶ Ἰάκωβος, ὡς υἱὸς ὀνομασθεὶς βροντῆς· λαμπρὸς ἐν ταῖς τιμαῖς καὶ ὁ Φίλιππος ὡς παρὰ τοῦ πνεύματος ἁρπασθεὶς . . . ἀλλ' ὅμως οἱ πάντες ὑποχωρείτωσαν Πέτρῳ καὶ δευτερεύειν ὁμολογείτωσαν, ὅταν ἡ τῶν χαρισμάτων σύγκρισις δοκιμάζῃ τὸν προτιμότερον. Ἀναθεωρῶν δὲ πάντα τὰ καθ' ἕκαστον καὶ σκοπούμενος, εὑρίσκω τὸν ἄνδρα τοῦτον ἐπί τε τῶν λογικῶν διαλέξεων καὶ τῶν πρακτικῶν ἐνεργημάτων ὁμοίως πανταχοῦ προπηδῶντα τῶν ἄλλων μαθητῶν καὶ προεξαλλόμενον καὶ κατόπιν ἀφιέντα τοὺς τὸ αὐτὸ τοῦ βίου στάδιον τρέχοντας.*

Fuisse porro Petrum auctoritate potestateque omnibus praelatum discipulis, tum praestitutis jam edixit Asterius, tum illico rursum utpote rem capitalem argumentis confirmat. Subdit [1] enim verba Christi apud Matthaeum commentando: „Statim aperiens (Petrus) os, qui vivum accensumque fidei carbonem animo ferebat, quo et prius Isaiae labia mundata fuissent, beatam illam ac plane perspicuam praeclare edidit confessionem, Tu es Christus, Filius Dei vivi. Quaenam quis pro horum dignitate verborum idoneus maximi Apostolorum interpres effectus demirari possit?„ Jamvero pro tanta confessione [2] Petrus „haud indonatus abiit ac sine praemio: quin potius ab eo beatus nuncupatus qui eximie beatus est, fidei petra appellatur, fundamentumque ac basis Dei ecclesiae. Accipit vero per promissionem claves regni ejusque portarum efficitur dominus, ut aperiat quibus voluerit, claudat vero quibus jure claudendae sint, plane vero pollutis et profanis ac eam negantibus confessionem, cujus ergo ipse tanquam sedulus gnarusque bonorum ecclesiae custos regni ostiis praefectus fuit.„ Hinc reprehensa eorum impietate haereticorum qui a tanti Apostoli confessione recedere ausi essent, ad illud Petri munus [3] venit, quo eum post resurrec-

Petri remuneratio.

---

[1] Ibid. p. 277. D. *Ἀνοίξας τὸ στόμα ταχέως ὁ τὸν ζώπυρον ἐπὶ τῆς ψυχῆς φέρων τῆς πίστεως ἄνθρακα, ᾧ καὶ Ἡσαΐας πρότερον ἐκαθάρθη τὰ χείλη, τὴν μακαρίαν ἐκείνην καὶ σαφῆ ἀληθῶς ῥῆσιν καθωμολόγησε. Σὺ εἶ ὁ Χριστὸς ὁ Υἱὸς τοῦ θεοῦ τοῦ ζῶντος. Τίνα ἄν τις πρὸς ἀξίαν τῶν λόγων τούτων θαυμάσειεν, ἀξιόπιστος γενόμενος ἑρμηνεὺς τοῦ μεγίστου τῶν ἀποστόλων;*

[2] Ibid. p. 280. D. *Οὐκ ἄμισθος ἀπῆλθε οὐδὲ ἀγέραστος· μακάριος δὲ ὀνομασθεὶς παρὰ τοῦ ὄντως μακαρίου, πέτρα καλεῖται τῆς πίστεως καὶ θεμέλιος καὶ ὑποβάθρα τῆς κατὰ θεὸν ἐκκλησίας. Λαμβάνει δὲ διὰ τῆς ὑποσχέσεως τῆς βασιλείας τὰς κλεῖς καὶ κύριος γίνεται τῶν ἐκείνης πυλῶν, ὥστε αὐτὰς ἀνοίγειν οἷς ἂν ἐθέλοι, καὶ κλείειν οἷς ἂν δίκαιον ᾖ, πάντως δὲ τοῖς βεβήλοις καὶ ἀνιέροις καὶ τοῖς ἀρνουμένοις τὴν ὁμολογίαν ἐκείνην, δι' ἣν αὐτὸς ὡς ἀκριβὴς τῶν ἐκκλησιῶν ἀγαθῶν φύλαξ ἐπιστατεῖν ταῖς εἰσόδοις τῆς βασιλείας ἐτάχθη.*

[3] Ibid. p. 281. C—D. *Ὁ μὲν οὖν Σωτὴρ ἡμῶν ἡνίκα ἔμελλεν ἀγιάζειν τῷ αὐθαιρέτῳ θανάτῳ, ὥσπερ τινὰ παραθήκην ἐξαίρετον, τὴν καθόλου καὶ οἰκουμενικὴν ἐκκλησίαν τούτῳ τῷ ἀνδρὶ παρατίθεται, τρίτον αὐτοῦ πυθόμενος τὸ Φιλεῖς με; Ὡς δὲ ταῖς ἐρωτήσεσι μάλα προθύμως ἰσαρίθμους τὰς ὁμολογίας προέθετο, ἔλαβεν τὸν κόσμον εἰς ἐπιμέλειαν, ὡς μίαν ἀγέλην εἷς ποιμὴν ἀκούσας Βόσκε τὰ ἀρνία μου· καὶ σχεδὸν ἀνθ' ἑαυτοῦ τὸν πιστότατον μαθητὴν ἔδωκεν ὁ κύριος τοῖς προσηλύτοις πατέρα, καὶ νομέα, καὶ παιδευτήν. Ταύτης τοίνυν ἀκούσας τῆς φωνῆς, οὐκ ἐν ῥαθυμίᾳ τὸν βίον ἔζησεν, οὐδὲ ἠγάπησε τὴν ἔξω κινδύνων ζωήν. ἀλλὰ πᾶσαν τὴν οἰκουμένην περινοστῶν, τὸν Χριστὸν τοῖς τυφλώττουσιν ἀπεκάλυπτεν, τοὺς μὲν πλανωμένους ὁδηγῶν, τοὺς δὲ γευσαμένους τῆς εὐσεβείας τοῖς ἐχθροῖς μαχόμενος, τοὺς οἰκείους παρακαλῶν, διωγμῶν ἀνεχόμενος, φέρων ἀχθηδόνα δεσμωτηρίων, πολυτρόπως τοῦ εὐαγγελίου προκινδυνεύων.*

tionem Christus Dominus auxit: „Cum ergo Salvator sponte assumpta morte humanum genus sanctificaturus esset, ceu peculiare quoddam depositum ac peculium, universalem ac orbe toto diffusam viro huic commendat ecclesiam, ubi tertio interrogasset illud, Amas me? Cumque is multa alacritate singulis interrogationibus totidem professiones adjecisset, mundi curam accepit, velut unum gregem unus pastor, quibus audivit [1], Pasce agnos meos; fereque sui loco dedit Dominus fidelissimum discipulum in patrem pastoremque et magistrum iis qui essent accessuri ad fidem. Cum itaque eam vocem audisset, haudquaquam segnitie vitam traducendam duxit: nec dilexit vivere extra periculorum aleam: quin universum circumquaque lustrans terrarum orbem caecis Christum revelabat; iis dux effectus qui exerrabant, eos provocans qui pietatem gustassent, hostes impugnans, consolans domesticos, persequutiones sustinens, carcerum molestiam ferens, multis modis evangelii causa pericula adiens.„

Petro commendatur universalis per orbem ecclesia.

210. En tibi ab uno amaseno praesule oculis objecta universa quae ad Petri ornamenta ac praerogativas spectantia ex latinis graecisque Patribus collecta dedimus. Id autem inde luce clarius apparet, collata divinitus potestate Petrum inter Apostolos uti caput et centrum eminuisse, neque aliter a Christo habitum proindeque non aliter a nobis habendum esse, quam qui locum ipsius Domini in terris teneat, a quo adeo uti a visibili fundamento omnes et omnia ad Christi ecclesiam pertinentia pendeant, et ad quem illi omnes et ista universa uti ad supremum rectorem et gubernatorem semetipsos referre referrique prorsus debeant.

5. Photiana perturbatio.

211. Quae quum totius christianae antiquitatis explorata fuerit sententia, judicium ferri potest de hac Photii explicatione, qua praeclarum Eulogii alexandrini [2] de eadem Petri prae Apostolis

Eulogius alexandrinus.

[1] Joh. XXI. 15 sqq.

[2] Phot. biblioth. cod. CCLXXX. ex l. II. Eulog. con. Novatian. *Ὅτι διὰ τοῦτό, φησιν, οὔτε πρὸς Ἰωάννην, οὔτε πρὸς ἕτερόν τινα τῶν μαθητῶν ἔφη ὁ σωτὴρ τό· καὶ δώσω σοι τὰς κλεῖς τῆς βασιλείας τῶν οὐρανῶν καὶ τὰ ἑξῆς. ἀλλ' ἢ πρὸς Πέτρον: ὃς ἔμελλε τῷ τῆς ἀρνήσεως περιπίπτειν τὸ ἁμάρτημα, ἵνα τῷ καθ' ἑαυτὸν ὑποδείγματι πρὸς τοὺς ἐξαμαρτάνοντας φιλανθρωπότερον διατίθοιτο. οἱ γὰρ ἄλλοι ἀπείραστοι μεμενηκότες τάχα ἂν ἀποτομώτερον αὐτοῖς διεκέχρηντο.* Hac eadem ratione alios veteres usos esse allata eorumdem testimonia pa-

Petri lapsus. omnibus excellentia suffragium corrupit atque pervertit: „Ideo, ita inquit alexandrinus patriarcha, nec Joanni nec alteri cuiquam discipulo dixit Salvator: Tibi dabo claves regni coelorum etc. sed soli Petro qui Deum negaturus erat et peccatum lacrymis et poenitentia expiaturus, ut suo ipsius exemplo erga peccatores humanior esset. Alii enim non tentati forsan severius cum peccatoribus egissent.„ Quibus hanc Photius subjicit [1] *παρερμηνείαν*: „Hoc ait Eulogius verisimilius magis quam verius. Etsi enim Petro dictum est, verumtamen in persona coryphaei et ceteris Apostolis talis potestas data est. Quandoquidem et sequentibus illos sacerdotibus eamdem datam esse solvendi ligandique potestatem credimus.„ Scilicet ita commentatur Photius praeter et contra Eulogii mentem, quemadmodum hoc cum suis credit praeter et contra Scripturarum ac Traditionis doctrinam.

Photii perversio.

Reiicitur recapitulatione praestitutae doctrinae.

212. Contulit enim 1) Christus juxta litteralem Scripturarum sensum ex communi Patrum sententia Petro eique soli immediate ac directe potestatem omnem quae enarratis apud Matthaeum et Joannem potissimum locis expressa legitur, et hac accepta potestate Petrus est diciturque vere proprieque *ὁ κορυφαῖος τῶν ἀποστόλων*. Quodsi vero 2) in Petro omnibus sacerdotibus collata dicatur potestas, tum enimvero a) id non *ἀφαιρετικῶς* vel ita accipi debet, acsi sua Petro praerogativa detraheretur; verum b) accipi *καταφατικῶς* sive ita debet, ut Petri praerogativa supponatur; ideoque c) ita accipi debet, ut Petrus instar *παραδείγματος* aliorum [2] ac instar summae juridicae, ut ajunt, personae

Quo sensu omnibus Apostolis in Petro collata potestas

---

tefaciunt, et illa rursum ostendunt quae habet Gregorius M. in ev. l. II. hom. XXII. n. 4. coll. in Ezech. l. II. hom. VI. n. 9. et Damascen. in sacris parallelis pp. 591 sq.

[1] Ibid. *Τοῦτο μέν φησιν ὁ Εὐλόγιος πιθανώτερον μᾶλλον ἢ ἀληθέστερον λέγων. εἰ γὰρ καὶ πρὸς Πέτρον εἴρηται· ἀλλ' οὖν ἐν προσώπῳ τοῦ κορυφαίου καὶ τοῖς λοιποῖς τῶν μαθητῶν ἡ τοιαύτη ἐξουσία ἐδέδοτο· ὅπου γε καὶ τοῖς ἀπ' ἐκείνων τὸ ἀρχιερατικὸν κατὰ διαδυψὴν περιβεβλημένοις ἀξίωμα τὴν αὐτὴν προσεῖναι τοῦ δεσμεῖν καὶ λύειν ἐξουσίαν πιστεύομεν.*

Leo M. [2] Expressit hoc perspicue Leo M. de nat. ipsius s. IV. c. 3. de Petri confessione ita eloquenter disserens: „Hanc confessionem portae inferi non tenebunt, mortis vincula non ligabunt: vox enim ista vox vitae est. Et sicut confessores suos in coelestia provehit, ita negatores ad inferna demergit. Propter quod dicitur beatissimo Petro: Tibi dabo claves regni coelorum . . . Transivit quidem etiam in alios Apostolos ius potestatis istius, et ad omnes ecclesiae principes decreti huius constitutio commeavit; sed non frustra uni commendatur, quod omnibus intimetur. Petro enim ideo

consideretur, quae uti in sese, non secus ac princeps vel caput societatis vel corporis cujusdam fastigium potestatis totius possideat, ita plane tamquam typica atque juridica persona repraesentare alios possit. Quare si verba Christi tam apud Matthaeum quam apud Joannem etiam hoc typico, juridico eodemque mediato sensu ad omnes Apostolos sacerdotesque referenda perhibeantur, manifestam confirmationem involvunt, qua Petri summa auctoritas ac praerogativa asseritur.

Bifariam testimonia ss. litterarum ad potestatis collationem pertinentia patent.

213. Quod vero ad illa attinet, quibus aliis etiam Apostolis concessa similis ac Petro potestas edicitur [1], praestituta Patrum norma animadverti debet I. bifariam patere Scripturarum testimonia, quibus Christus Apostolis potestatem auctoritatemque commisit: alia respicere omnes ex aequo Apostolos, et alia respicere unum Apostolum Petrum seorsum: atqui II. sicut e priori testimoniorum classe omnimoda Apostolorum omnium aequalitas colligitur, ita ex altera eorum inaequalitas constat Petrique praestantia atque primatus. Quare III. si Apostoli conferantur invicem, insignes omnes exsistunt universali auctoritate docendi, regendi, ferendi leges, judicandi atque pascendi, ita tamen ut prae reliquis Petrus personam induat capitis, principis summique pastoris, praeque Petro vicissim reliqui habitum induant obnoxiorum sive rectorum sive pastorum fratrumque confirmandorum. Unde IV. si iidem Apostoli ad fidelium coetum referantur, primum potissimumque hujus est officium cohaerendi cum Petro, sicut illorum erat officium, ut fundarent ecclesias super Petrum tamquam totius ecclesiae visibile fundamentum, fundare illas circa Petrum tamquam visibile omnium centrum, et fundare illas in unitate cum Petro, ne peccatores atque schismatici evaderent. Jamvero V. distingui accurate debet ipsa primatus potestas in se ac *ὄντως* spectata ab ejusdem exercitio eademque veluti *δυναμικῶς* considerata, simul vero duplex discernere oportet ecclesiae stadium, alterum quod

Apostolicae auctoritatis aequalitas.

Petri eminentia.

Fidelium inde officium.

Potestas primatus eiusque exercitium.

Ecclesiae stadia.

hoc singulariter creditur, quia cunctis ecclesiae rectoribus Petri forma proponitur. Manet ergo Petri privilegium, ubicunque ex ipsius fertur aequitate iudicium.„ Eodemque cum allatis iam Patribus graecis spectasse dicendus est vulgatus Dionysius, qui de eccles. hierarch. c. VII. §. 7. verbis Domini, *Ὃ ἐὰν δήσῃς ἐπὶ τῆς γῆς καὶ τὰ ἑξῆς·* subdit: *ὡς καὶ τοῦ μακαρίου Πέτρου καὶ παντὸς τοῦ κατ' αὐτὸν ἱεράρχου κατὰ τὰς ἐν αὐτῷ γινομένας οὐρανόθεν ἐκ θεοῦ ἀποκαλύψεις καὶ προσδεχομένου καὶ ἀφορίζοντος.*

Dionysius.

[1] Affirmat id non modo Photius verum etiam Macar. vinnic. ep. l. c.

originum erat adeoque extraordinarium dicitur, atque alterum ecclesiae jam explicatae et consistentis, quod continuationis perpetuae et ordinarium illius stadium vocatur. Etiamsi porro Petrus singulari primatus praerogativa prae ipsis Apostolis instructus fuerit; pro eximiis tamen quibus Apostoli excellebant charismatibus extraordinarioque ecclesiae stadio, locus illius exercitio aut nullus omnino aut vix aliquis dari poterat. Sed quum primum Apostolorum charismata cessarent ac stadio charismatum extraordinario ordinarium succederet, tota semet primatus vis pro variis rerum personarumque adjunctis multifariam explicavit, adeo ut in Petri successoribus manifestum fieret, quanta ad ecclesiam regendam continendamque principi Apostolorum in alios pastores omnes potestas tributa fuisset. E quibus liquet, Petri primatum sibi praeclare constitisse una cum reliquorum discipulorum apostolicis dotibus.

Nulla aequalitas inter particulares episcopos romanumque Pontificem.

214. Sed illud pariter et multo etiam jure majori inde colligitur, nullo pacto plenam perfectamque episcoporum omnium aequalitatem obtinere cum romanis episcopis. Quemadmodum enim romanus episcopus in totam primatus Petri auctoritatem succedit: ita episcopi singuli totam Apostolorum excellentiam minime consequuntur. Quid porro inde? Hoc quod luce clarius est: nimirum, quod si cunctis Apostolis primus romanus episcopus Petrus praecellebat dignitate primatus, profecto succedentibus illi romanis praesulibus prae sequentibus episcopis eamdem primatus praerogativam detrahi nullo colorato titulo posse.

Distinctio ordinis et iurisdictionis.

215. Nihilominus cum reliquis heterodoxis qui schismate orientali implicati exsistunt denegare illam non desinunt: quum tamen negationis suae rationes afferunt, praeter alias aberrationis causas quas jam sustulimus, in eum constanter scopulum impingunt, qui duorum quae ab invicem plane secernenda forent perturbatione continetur: scilicet non rite ut oportet distinguunt inter praerogativam ordinis interque praerogativam auctoritatis ac jurisdictionis quam vocant. Atqui duplex omnino secerni in episcopis debet praerogativa, ordinis altera, eaque sita in eorumdem foecunditate, qua tamquam patres ecclesiae ejusdem perennitati consulunt generando manuum impositione alios rursum episcopos, procreandoque filios secundogenitos presbyteros atque ministros: et altera auctoritatis ac jurisdictionis, qua a) magisterio dignitateque cathedrae excellunt ad testandum docendumque authentice, b) po-

testate pollent legifera, judiciaria atque poenali: atque his continetur apostolatus participatio, quae in eos ab Apostolis transiit.

216. Jamvero romani episcopi primatus non continetur priori illa, sed posteriori hac praerogativa. Quare licet romanae urbis antistes reliquis episcopis gradu atque honore ordinis episcopalis non praestet: praestat tamen auctoritate ac jurisdictione, praestat doctoratus cathedra ac pastoratus supremitate, vi cujus omnibus reliquis episcopis praesit, omnesque teneantur, in unitate cum illo docere fideles et greges pascere, testanti docentique illi fidem adjungere, eique sive praecipienti sive prohibenti morem gerere et obedientiam praestare.

Primatus romanus continetur auctoritate ac iurisdictione.

217. Hanc autem institutionem a Christo ipso fuisse profectam Scripturae et ex sese et ex unanimi Veterum conspiratione [1] uti ostendimus docent: non secus ac iisdem docemur, eo institutionem eamdem sua natura et ex institutoris voluntate spectare, ut ecclesiasticae societatis unitas visibilis in visibili suo capite non modo repraesentetur, sed etiam efficiatur ac vindicetur: et efficiatur quidem atque vindicetur fidei socialis ac catholicae unitas unitate supremi testis atque doctoris authentici, et efficiatur vindiceturque unitas socialis vitae atque regiminis unitate supremi pastoris ac rectoris, cui hierarchica subordinatione qui pro Christo legatione funguntur omnes subjiciantur „in aedificationem [2] cor-

Huiusce institutionis finis.

---

[1] Qua veterum conspiratione permoti neque pauci neque ignobiles e graecis scriptoribus atque praesulibus post scissionem a Photio invectam romanorum episcoporum sedisque romanae principatum recognovere, palam professi sunt atque impense vindicarunt. Et omissis illis quae in actis conciliorum in quibus unionis causa tractata conclusaque fuit, huc faciunt, quae disseruere apud Leo. Allat. t. I. p. 419. de „communi ecclesiae magistro, beatissimo Petro, super quem divino oraculo fundata est spes nostra„ *περὶ τοῦ κοινοῦ διδασκάλου τῆς ἐκκλησίας τοῦ μακαριωτάτου Πέτρου κατὰ τὴν θείαν φωνὴν ἐπ' αὐτοῦ θεμελιωθείσης τῆς ἐν ἡμῖν ἐλπίδος*, Gregorius protosyncellus: tum ibidem p 667. pro concilio chalcedonensi Niceta byzantius de confessione principis Apostolorum Petri, *εἰσαχθήτω*, inquit, *ὁ κορυφαῖος τῶν ἀποστόλων Πέτρος*: et Georgius trapezuntius de una, sancta, catholica ecclesia n 7. p. 550. eximie efferens Petri et per eum romanae ecclesiae praerogativam quam nn. 10 sq. pp. 559 sqq. in suprema collocat auctoritate in ecclesias omnes omnesque earumdem episcopos.

Gregorius protosyn.

Niceta.

Georgius trapezunt.

[2] Ephes. IV. 12 sqq. Praeposteri forent, qui ex eo quod Paulus hic loci ordinarios et extraordinarios Christi ministros recensens nullam primatus Petri mentionem fecerit inferrent, hunc ab eo fuisse exclusum. De exclusione enim a) nullum habetur vestigium; eo vel minus quod b) ministeria

Solvitur petita ex Ephes. IV. 12 sqq. exceptio.

poris Christi, qui est caput invisibile, ex quo interius illuminante ac confirmante totum corpus compactum et connexum per omnem juncturam subministrationis secundum operationem in mensuram uniuscujusque membri augmentum corporis facit in aedificationem sui in caritate.„

6. Consectaria de ecclesiae regimine.

218. Sed ex disputatis hucusque universis haec perspicua fluunt consectaria, quibus ecclesiae regimen determinatur.

Corollarium I. Quemadmodum ex descripta ratione [1] societatis christianae prius intulimus, tutelam ejusdem nec apud potestatem politicam nec apud populum esse: ita ex objecta facie unitatis catholicae itidemque romanae non idipsum modo constat, abhorrere scilicet illam tam a politica principum [2] quam a democratica [3] populi *οἰκονομίᾳ*; sed et illud colligitur, ejusdem praesidium neque creditum esse singulis locorum episcopis neque aristocratico omnium episcoporum coetui atque *συνόδῳ*. Constat primum illud tum ipsa exclusione tum ex inspectis rerum naturis; quum neque principibus supremisque publicae rei moderatoribus neque fidelibus sive singulis seorsum sive omnibus simul [4] facul-

Non est politicum.

Non democraticum.

---

etiam reliqua non exclusa censentur, quae silentio Paulus praeterivit: quodque c) manifestum sit, gentium Apostolo minime propositum fuisse censum accuratum ecclesiasticorum ministeriorum *ἐν ἀτόμῳ* exhibere: at vero d) quum primo loco Apostolos posuerit, non aliter horum chorum accepit, quam eum Christus ordinatum voluit ac instituit; adeoque e) non aliter profecto nominatum illum acceptumque voluit ac postulat evangelii analogia, juxta quam Petrus est Apostolorum princeps, caput ac centrum: quare ex canone interpretationis harmonicae affirmandum f) virtute a Paulo et illum fuisse comprehensum unaque inclusum.

[1] Cap. II. n. 31. pp. 24 sqq.

[2] Hoc in sacra ius principibus asserebant cum protestantes generatim, tum nominatim anglicani, de quibus vide sis Mamachi. orig. et antiq. eccl. l. IV. Ut vero inter impietatis istius defensores excellunt Hug. Grot. de imp. sum. pot. circ. sacra, et M. A. de Dominis de rep. eccl. l. VI. ita veritas orthodoxa nacta est vindices duumviros inter alios praestantes Mart. Becan. et Fr. Suar. opp. sup. cit.

[3] Huc spectant prae aliis rursus M. A. de Domin. l. c. et Salmas. quem summus Petavius de eccles. hierarch. ea qua pollebat praestanti virtute confutavit.

Matth. XVIII. 15 sqq. expenduntur.

[4] Neque vero difficultatem creant verba Christi Matth. XVIII. „Dic ecclesiae„ acsi coetui fidelium summa judiciaria potestas delata esset. Nam 1) quum nomen ecclesiae multiplicis potestatis sit, non semel (Ephes. IV. 15; I. Cor. XII. 12.) ad ipsum refertur Christum, summum ecclesiae caput,

tas officiumque commissum sit, vel docendi proponendique quod credendum, vel statuendi praecipiendique quod agendum sit, vel alia ejusmodi praestandi, sine quibus neque fidei neque caritatis socialis unitas sarta tectaque servari possit.

Colligitur alterum tum exclusione pariter tum considerata unitatis descriptae natura et indole: praeeuntibus enim Scripturis, docentibus Patribus [1] historiaque ecclesiastica teste continendae catholicae unitatis vis suprema eademque continua tam ab episcopis removetur singulis seorsum quam ab omnibus simul in unum synodoque collectis. At enimvero ea insuper est unitatis illius

Non aristocratico - episcopale.

Non aristocratico-synodicum.

quatenus id habere, agere et praestare censetur ecclesia, quod illius caput habet, agit et praestat. Nihil autem 2) pronius, quam ex hac significatione ad illam progredi, qua ecclesiae voce designantur qui pro Christo legatione funguntur, quique sub pastorum principe pascunt, et sub episcopo summo ecclesiam regunt ac moderantur. Hinc 3) usus loquendi sinit, ut nomen ecclesiae de ecclesiae pastoribus sumatur. Atqui 4) sumendum ita esse suadent a) verba sequentia, „amen amen dico vobis,„ b) quae de exsequutione hujus mandati leguntur I. Cor. V. et I. Tim. I.; tum c) quae litteris pastoralibus consignata occurrunt: praeterea d) quae historia judiciorum ecclesiasticorum continentur: rursum e) quae ecclesiastica legislatione praefinita accepimus: deinde f) quae post Cyprianum ep. LXIX. Chrysostomus aliique vetustiores interpretes docent: postremo g) ipsa rei natura. Ergo 5) oratio Christi non progreditur arithmetice a numero minore ad numerum continenter majorem, sed a personis privatis ad personam publicam, et a correptione caritatis ad correptionem juridicam.

[1] Cf. Anton. Vairae de praerogat. oecumen. nomenclat. et potest. rom. pontif. cc. 1 sqq., ubi ex monumentis ecclesiasticis evincit, romanis praesulibus tributam iugiter unanimi occidentis orientisque suffragio fuisse supremam vim potestatemque continendae catholicae unitatis. Quare nonnisi φλυαρία cuidam adscribendum videtur, quod post alios Macarius vinnic. l. c. §. 175. Hieronymi ex ep. 146. (al. 85.) ad Evangel. verba obiicit, quibus a sancto quidem illo eruditoque, sed etiam contentioso disputatore edicitur: „Ubicunque fuerit episcopus, sive Romae, sive Eugubii, sive Constantinopoli, sive Rhegii, sive Alexandriae, sive Tanis, eiusdem meriti, eiusdem est sacerdotii.„ Quum enim ex prolatis Hieronymi testimoniis, aliisque perspicuis quae idem c. Jovinian. l. I. dial. adv. pelagian., in Is. c. II., in Matth. XVI., et ad Marcell. ep. 54. scripsit, nullum de mente eius superesse dubium possit: evidens est, verbis illis subiici sensum, qui ipsum sibi Hieronymum adversantem contrariumque faciat. Sed, inquis, quaenam tandem iis sententia subest? Non ea profecto, qua peteretur magis auctoritas pontificis prae episcopis, quam episcoporum prae presbyteris, quum ad hos universus contextus ἀμέσως directeque pertineat. Verum aiendo ac positive interrogationi aequissimae iam satisfecit Baronius ad an. Christi 45. n. 8. Disserit Hieronymus de his, quae sunt muneris sacerdotii, in qua quidem functione sicut nihil praeter ordines plus episcopus quam presbyter habet, ita multo minus nihil est, quod plus alio quilibet episcopus sibi vindicat.

ratio ac indoles, cui neque episcopi singuli seorsum neque summa omnium satisfacere constanter valeant. A singulis seorsum fastigium abest ac necessaria ἀνακεφαλαίωσις, nec immerito ab iisdem, si aequali jure gauderent, obortis dissidiis foret unitati timendum. Ab omnibus autem simul coetu synodoque collectis [1] perpetuitas abest, quodque nexum inde est, prompta in necessitatibus abest [2] praesentia. Tum vero ipsa ejusmodi οἰκονομία apte ordinateque instituta dici non posset citra idoneam legem, qua hinc necessitas vel opportunitas, inde via ac modus synodi convocandae habendaeque rite determinaretur. Porro de lege ejusmodi lata divinitus nuspiam vestigia comparent.

7. Vera ecclesiastici regiminis forma infertur.

219. Corollarium II. Ex his autem manifestum est, cum insito ecclesiae catholicae charactere cumque analogia fidei non aliud conspirare [3] externum tuendae unitatis medium quam quod in primatu romani Pontificis situm comprobavimus. Quum enim Salvator mundi illam ecclesiae suae unitatem voluerit quam [4] ex-

---

[1] Si ad terminos revocare technicos velimus varias de ecclesiastica regiminis forma opiniones, praetermissis specialissimis temperamentis ita generatim easdem diribebimus ut a) democratiam amplectantur, qui ius auctoritatemque singulis promiscue fidelibus concedunt: b) aristocratiam, qui illam tribuunt sive presbyteris sive episcopis omnibus: c) oligarchiam, qui aliquot selectis presbyteris vel episcopis: d) constitutionale regimen, quod vocant, qui illam synodis vindicant. Ex his autem consectaria sunt: vel nulli episcopi nullique presbyteri, vel nulli episcopi nullusque papa, vel nullus papa, vel supra papam episcopi consentientes, vel supra papam concilium, vel papa nihil sine episcopis, vel papa nihil sine concilio: contra vero e) monarchiam tuentur romano-catholici.

[2] Vide sis Francisc. Torrensem de sum. pontif. sup. conc. auctorit. Florent. 1551 et Hierem. a Bennettis privileg. s. Pet. rom. pont. a Ch. Dom. collator. vindic. t. I. praef. pp. XV sq.

[3] Hinc theologica parisiensis facultas notam haereseos inussit huic M. A. de Dom. ex op. c. l. II. defloratae propositioni 14. „Sicut Apostoli simul et in solidum aristocratice curam gerebant ecclesiae cum potestate aequali et universali, ita episcopi omnes simul et in solidum eamdem regant ecclesiam cum plena potestate.„

[4] De qua apud Joh. XVII. 11 sqq. X. 16. Ephes. IV. 3 sqq. I. Cor. XII. 12 sqq. Matth. XXVIII. 19 sqq. Marc. XVI. 15. tum apud Iren. Cypr. Aug. Optat. Hieron. aliosque veteres ll. cc. Unitas porro haec, quam profitemur, quum dicimus „Credo unam ecclesiam„ est unitas extensione universalis, duratione continua, intensione summa. Est a) extensione universalis, quum ita singulares ecclesias omnes complectatur, ut ad earum summam collectionemque semet porrigat: est b) duratione continua, quum ad consumma-

Quam unitatem Christus voluerit.

posuimus, et eam quidem catholicam loco ac tempore voluerit perpetuam; nisi idem dominus administrare illam continuo singularique novarum revelationum ac miraculorum ordine [1] constituerit: profecto in sua sapientia externum atque authenticum ejusmodi medium selegit, quo eadem jugiter conservaretur ac defenderetur. Atqui exclusis rejectisque ceteris mediis reliquum est, ut munus officiumque continendae ecclesiae Dei, quam acquisivit [2] sanguine suo, supremo cuidam episcopo traditum existimetur, qui eam summa auctoritate regeret. Sed is non est nisi romanus Petri successor.

Unitatis catholicae regimen singulare.

8. Vera regiminis ecclesiastici forma analogia fidei asseritur.

220. Corollarium III. Inde autem rursum apparet, institutam divinitus primatus oeconomiam ex fidei analogia [3] praeclare

tionem usque saeculi persistere non interrupta debeat; c) intensione summa, tum quia non interna modo, requirens concordiam fidei, spei, caritatis, verum externa quoque requirens unitatem professionis, sacramentorum, corporis, catholicaeque fraternitatis: tum quod expressa ad divinam unitatem, quae est simplicissima trium unitas, in qua multiplex ac trinum ita revocatur ad unum, ut unum in multiplici ac trino neque separetur neque dividatur. Porro d) qua necessitate ex Paulo corde credendum confitendumque ore est, eadem fidelibus omnibus et singulis necessaria est concordia interna et externa conspiratio. Jamvero e) nemo non intelligit, utramque unitatem hanc constantem citra miraculum juge obtineri non posse, nisi medium adsit externumque ὄργανον cujus vi eadem concilietur.

[1] Selectum a Christo externi ministerii ordinem fuisse cum ex aliis tum ex iis apparet quae Paulus docet Rom. X. 14 sqq. Cf. Car. Pass. de eccl. Christ. vol. II. de minist. eccles.

[2] Act. XX. 28.

[3] Nemo theologorum nescit, in fidei quam vocant analogia collocari proprium argumentorum theologicorum locum ac sedem. Colliguntur porro argumenta per instrumentum rationis sive probabiliter tantum sive certo inferentis. Analogia vero fidei eatenus fons est ac locus theologicus, ut ajunt, quatenus positis certis quibusdam christianae doctrinae capitibus, ope rationis exquiritur, quid cum illis aut probabiliter aut certo consertum sit. Potest autem cum illis aliquid esse consertum multipliciter, vel ut effectus cum causa vel ut consequens cum antecedente, vel ut particulare cum universali, vel ut hypothesis cum thesi, vel ut par aut simile cum pari similive, vel ut majus ut dicunt cum minori. Hinc patet 1) argumentationem ex analogia fidei non esse uniformem et uniusmodi sed variam atque multiplicem: 2) non esse mere humanam, sed spectato fundamento divinam esse, neque conjecturis inniti humanis, sed institutionibus factisque divinis: 3) dum adhibetur non praescribi a priori, quid facere Deus debuerit, sed a posteriori inferri quid convenienter, probabiliter, certove facere decreverit. Quare hujus argumentorum generis usu haud raro πολεμικῶς opportune occuritur

colligi non uti possibilem modo, sed uti convenientem, opportunam, immo vero etiam necessariam.

Vis analogiae fidei.

Facies sectarum.

221. Quam quidem necessitatem I. earum facies sectarum, quae quo magis diutiusque a capite divinitus statuto recessere, eo amplius pleniusque in varias dissitasque ab invicem partes direptae conspiciuntur, mirifice confirmat. Sane consideretur quaeso reformantium quos vocant coetuum tum historice a facto tum causaliter a genesi facies. Gerunt illae collective spectatae faciem societatis acephalae. Sed enim vero membra hujus societatis disjecta dixeris atque divisa. Una illa non est, nisi nomine tenus et unitate polemica negationis et oppositionis. Multiplex contra est [1] ac varia symbolis, ritibus sanctificantibus, administratione, disciplina, ipsaque ministerii forma. Atqui haec societatis facies ab illa plane abhorret imagine unitatis quam Christus in sua ecclesia voluit expressam. Hujus namque princeps typus unitas est universalis, quae universale exigit caput atque efficax unitatis principium. Hinc universali hoc excluso praeposito ipsae rerum naturae secum ferebant vel societatem aequalem simpliciter, vel aequalem quadamtenus, talem videlicet quae constaret non partibus membrisque subordinatis verum coetibus coordinatis. Sed inde aut singulorum aut coetuum prodibat libertas, eaque tam theoretica determinandi symboli, quam practica statuendi de ministerio et disciplina. Atqui his continetur principium efficax scissionum, varietatis, universalisque dissensionis. Necessitatem [2] ergo oeconomiae qua tam

---

exceptionibus oppositis revelatae doctrinae, apteque θετικῶς consulitur tum legibus humanae mentis tum scientiae ac intelligentiae profectui, tum etiam manifestationi explicationique aeternae sapientiae.

[1] Variam protestantium ac protestantismi faciem ob oculos posuerunt Bossuet. op. de variationib., Jörg. hist. protest. et Dölling. ecclesia et ecclesiae: quod tamen opus laudatum volumus, non quod postremam potissimum ejus partem commendandam censeamus, sed quod pars prior ad rem praeclara et accommodatissima suppeditat. Ubi opportune mihi haec accidit Hieremiae a Benettis in operis insignis de privileg. rom. Pont. praefatione p. XXI. ingenua animadversio: „Nec vero videri audax velim, si saepius in scriptores magni nominis insurrexero, atque mox hunc, mox illum tantosque viros exagitavero tantillus ego: adiecit animos caussa, ne ullum venia donarem, quem minus in Pontifices aequum deprehendissem, quorum honori vel cum aliorum dispendio consulere opinor culpa omnino carere.„

[2] Huc faciunt quae disserit Balmes de catholicism. et protestant. pp. 60 sqq. Ad eamdem porro formam protestantismi rediret oeconomia catholica, si verum foret quod l. de eccles. et polit. potest. ab initio statuit Ed-

singuli seorsum quam collecti in unum coetus supremo unitatis principio subjiciantur, probat vel ipsa facies coetus protestantium.

222. Quam illationem neque systemata theoretica neque practica media a protestantibus tuendae unitatis gratia excogitata, proposita atque invecta sive jure sive facto illegitimam reddunt. Nam suarum societatum unitati consultum ab illis reapse non fuit, atque consuli etiam nullatenus potest, vel θεωρίᾳ claritatis Scripturarum, vel θεωρίᾳ articulorum fundamentalium, vel θεωρίᾳ inspirationis privatae singulorum. Sed neque πρακτικῶς eidem unitati vel consultum reapse umquam fuit vel etiam consuli umquam potest sive per confessiones libere adoptatas, sive per colloquia transactionesque inter partes dissidentes, sive per leges praescriptionesque [1] a potestate civili profectas. Redit ergo facta superius illatio, ipsa protestantium coetuum facie necessitatem suaderi praepositi universalis. *Inefficacia unitatis media.*

223. Contra vero II. vel ipsa facies admirabilis illius unitatis, quae in ecclesia romano-catholica vi unius supremi capitis, romani inquam episcopi, jugiter conservata fuit et semper sibi similis usque floret, historice causaliterque considerata divinam institutionem atque originem oeconomiae illius luculenter commonstrat. Et re sane vera facies illius alia non est hodie quam fuit olim aetate Irenaei, a quo eadem insigni hac descriptione [2] menti oculisque *Facies romanae unitatis.*

---

mund. Richer. Christum fundando ecclesiam, prius immediatius atque essentialius claves sive iurisdictionem toti dedisse ecclesiae quam Petro: seu quod ad idem redit, claves toti contulit ecclesiae ut per unum ministerialiter exercerentur. Sed haec iam praeoccupans everterat Card. Bellarm. de rom. pont.

[1] Cf. de his Jörg. l. c.

[2] Con. haer. l. I. c. 10. n. 2. *Τοῦτο τὸ κήρυγμα παρειληφυῖα καὶ ταύτην τὴν πίστιν, ὡς προέφαμεν, ἡ ἐκκλησία καίπερ ἐν ὅλῳ τῷ κόσμῳ διεσπαρμένη, ἐπιμελῶς φυλάσσει ὡς ἕνα οἶκον οἰκοῦσα· καὶ ὁμοίως πιστεύει τούτοις ὡς μίαν ψυχὴν καὶ τὴν αὐτὴν ἔχουσα καρδίαν καὶ συμφώνως ταῦτα κηρύσσει καὶ διδάσκει καὶ παραδίδωσιν, ὡς ἓν στόμα κεκτημένη· καὶ γὰρ αἱ κατὰ τὸν κόσμον διάλεκτοι ἀνόμοιαι, ἀλλ' ἡ δύναμις τῆς παραδόσεως μία καὶ αὐτή· καὶ οὔτε αἱ ἐν Γερμανίαις ἱδρυμέναι ἐκκλησίαι ἄλλως πεπιστεύκασιν ἢ ἄλλως παραδιδόασιν, οὔτε ἐν ταῖς Ἰβηρίαις, οὔτε ἐν Κελτοῖς, οὔτε κατὰ τὰς ἀνατολάς, οὔτε ἐν Αἰγύπτῳ, οὔτε ἐν Λιβύῃ, οὔτε αἱ κατὰ μέσα τοῦ κόσμου ἱδρυμέναι· ἀλλ' ὥσπερ ὁ ἥλιος, τὸ κτίσμα τοῦ Θεοῦ, ἐν ὅλῳ τῷ κόσμῳ εἷς καὶ ὁ αὐτός· οὕτω καὶ τὸ κήρυγμα τῆς ἀληθείας πανταχῇ φαίνει καὶ φωτίζει πάντας ἀνθρώπους τοὺς βουλομένους εἰς ἐπίγνωσιν ἀληθείας ἐλθεῖν. καὶ οὔτε ὁ πάνυ δυνατὸς ἐν λόγῳ τῶν ἐν ταῖς ἐκκλησίαις προεστώτων ἕτερα τούτων ἐρεῖ (οὐδεὶς γὰρ ὑπὲρ τὸν διδάσκαλον)*

objicitur: „Hanc praedicationem quum acceperit, et hanc fidem, quemadmodum praediximus, ecclesia, et quidem in universum mundum disseminata, diligenter custodit, quasi unam domum inhabitans: et similiter credit iis, videlicet quasi unam animam habens, et unum cor, et consonanter haec praedicat, et docet et tradit, quasi unum possidens os. Nam etsi in mundo loquelae dissimiles sunt, sed tamen virtus traditionis una et eadem est. Et neque hae, quae in Germania sunt fundatae ecclesiae aliter credunt aut aliter tradunt; neque hae quae in Hibernia sunt, neque hae quae in Celtis, neque hae quae in Oriente, neque hae quae in Aegypto, neque hae quae in Lybia, neque hae quae in medio mundi constitutae: sed sicut sol, creatura Dei, in universo mundo unus et idem est; sic et lumen, praedicatio veritatis, ubique lucet, et illuminat omnes homines, qui volunt ad cognitionem veritatis venire. Et neque is qui valde praevalet in sermone, ex iis qui praesunt ecclesiis, alia quam haec sunt, dicet: (nemo enim super magistrum est) neque infirmus in dicendo deminorabit traditionem. Quum enim [1] una et eadem fides sit, neque is qui multum de ea potest dicere, ampliat, neque is qui minus, deminorat.„ Atqui haec est facies unitatis quam usque [2] modo ecclesia gerit. Sed unde tanta intensivae simul atque extensivae non internae tantum sed ap-

Principium unitatis externum.

prime etiam externae socialisque illius unitatis efficiendae vis? Non aliunde quam ex illius potissimum administratione formaque

---

οὔτε ὁ ἀσθενὴς ἐν τῷ λόγῳ ἐλαττώσει τὴν παράδοσιν. μιᾶς γὰρ καὶ τῆς αὐτῆς πίστεως οὔσης, οὔτε ὁ πολὺ περὶ αὐτῆς δυνάμενος εἰπεῖν ἐπλεόνασεν, οὔτε ὁ τὸ ὀλίγον ἠλαττόνησε.

[1] Hanc unitatem exaltant pariter Ignat. M. ep. ad Magnes. n. 7., Herm. past. l. III. sim. 9. n. 18., Tert. praescriptt. c. 20., Cypr. de unit. eccl., Optat. milev. c. Parmen., et reliqui continua serie veteres omnes, e quibus non pauca in medium deprompsimus.

Illius immutabilitas.

[2] Constantem hanc perpetuae identitatis faciem postulat ipsa ecclesiae ratio, quae Christi esse cessaret, simul ac aliam praeferre naturam videretur. Ad hanc porro οὐσιωδῶς pertinet regiminis forma, administrationis ratio: ut verbo dicam, pertinet primatus, a quo ecclesiae unitas eiusque facies prorsus dependet. Hinc quae perpetuitatem romani pontificatus probant, iis etiam immutabilitas probatur formae ecclesiastici regiminis, principiique externi ad ecclesiae unitatem conservandam. Concinne quidem ac breviter, sed scite sapienterque disputavit haec, qui deinceps ipse cathedram ascendens romanam romanae unitatis assertor gravissimus exstitit P. Maurus Cappellari de triumpho s. sedis et ecclesiae §§. 5 sqq. ubi ostendit, ecclesiae regimen sibi semper simile esse, immutabile, ad ipsamque societatis a Christo institutae naturam pertinere.

Maur. Cappellari (Gregorius XVI.)

regiminis. Quae quum per consertos gradus ad singularem pastorem revocetur, qui universalis pastor audiat et sit; fieri non potest, quin catholicae societati perfectissimae unitatis character imprimatur, quo verissime ut una domus, unum corpus unumque ovile dignoscatur.

224. Atvero pertenta jam denuo factum hoc exsistentis, permanentis jugiterque florentis unius summi pastoris ejusdemque primatus: et palam dicas quaeso, sit illud nec ne iis affectum instructumque adjunctis ac circumstantiis, quae causarum secundarum ordinem praetergressa principem ipsam causam requirant: *Adjuncta.*

Contende I. vel exsistentiam ipsam tam exsortis plane auctoritatis quae uni prae omnibus inest, cum ingenio humano auctoritatis impatiente hinc, et inde cum iis quae inter homines libertatis studiosos communiter contigere et contingunt, latoque judicio edicas, utrum vel probabile existimari possit, repetendam universalem illam obedientiam subjectionemque esse ab instituto aliquo [1] hominum? *Numen supremum.*

Contende II. tum chronologicam illius praerogativae continuationem tum chorographicam ejusdem amplitudinem cum immutationibus continuis temporum aeque atque locorum.

Contende III. characterem universalem pastorum cum historicis eorum characteribus, in quos suam potestatem illi exercebant.

Praeterea IV. contende objectum non theoreticum modo sed et practicum, ad quod illorum jura atque officia referuntur, cum indeclinabilium judiciorum constantia, qua obortae quaestiones dirimebantur exsequutionique mandanda erant.

Insuper V. contende hinc inermem, apertam tamen candidamque supremi episcopi auctoritatem, et inde callidam [2] hostium internorum externorumque potentiam, qui in illius perniciem nihil non moliebantur.

---

[1] Sed ne ipsa quidem graduum inter alios episcopos distinctio e liberis eorumdem episcoporum pactis repeti generatim potest vel debet. Qua de re communi opera cum Car. Pass. tum Sod. e. S. J. scripsimus vol. II. c. 28. p. 339 adnot. 34. de eccles. Christi.

[2] Est porro hostis declaratus minus timendus, ita Nazianzenus or. XXXII. coram 150. episcopis habita: *Τὸ γὰρ προδήλως ἐχθρὸν εὐφύλακτον· οἱ δὲ τὰ νῶτα τηροῦσι, καὶ μᾶλλόν εἰσι λυπηροί. τὸ γὰρ ἀνύποπτον, καιριώτερον.* *Nazianzenus.*

Et tandem VI. contende cum tot tantisque undique natis difficultatibus atque obstaculis successus ingentes ac incrementa maxima quibus aucta prima illa sedes jugiter fuit: et fateberis profecto, vitale argui principium terrestri prorsus altius, foecunditatemque aperiri quae humanis causis omnibus immensum major exsistat.

Principium coeleste internum.

9. Romanae unitatis moderator *μόναρχος*.

Infertur.

225. Corollarium V. Revocata catholicae unitatis tutela ad unum supremum pastorem, non alia [1] ejusdem gubernatio prodit quam quae monarchica dicitur.

10. Praeter unitatem romanam nulla ecclesia vere una.

226. Corollarium VI. Excepta sola romana ecclesia reliquae omnes christiani nominis societates *μοναρχίᾳ* moderatoris, unitate cathedrae destituuntur. Hanc porro Christus in sua ecclesia ad unitatem manifestandam continendamque voluit. „Hinc institutio solemnitatis cathedrae s. Petri [2] a senioribus nostris cathedrae nomen accepit, ideo quod primus Apostolorum Petrus hodie episcopatus cathedram suscepisse referatur. Recte ergo ecclesiae natalem sedis illius colunt, quam Apostolus pro ecclesiarum salute suscepit dicente [3] Domino, Tu es Petrus, et super hanc petram

Solemnitas cathedrae.

Pseudo-Augustinus.

---

[1] Cf. hac de re plura non inutilia disserentes Nicol. Mar. Pallavicin. in op. cui titulus „difesa del pontificato romano„ tum Cardinalem Orsi de rom. Pontif. l. VII. nec non Michael. Maucler. de monarchia divina, ecclesiastica, saeculari, Henning. Arnisae. de republica, atque Em. Schelstrate antiq. illustr. p. I. diss. 3. c. 3. qui regimen ecclesiae monarchicum cum aristocratico mixtum esse probat, idque uno alterove ex iis veterum testimoniis conficit, quorum seriem longam dedimus, ut ecclesiam multorum episcoporum ab uno supremo capite pendentium curae commissam ostenderemus. E quibus apparet, sententiam illius a nostra haudquaquam distare. Sed cum iis quoque omnibus cohaeremus, quae contra Tamburinium P. Maurus Cappellari, qui deinceps sedem romanam nomine Gregorii XVI. cohonestavit, decretoriis argumentis statuit in laudato opere de triumpho s. sedis et ecclesiae §§. 25 sqq.

Maur. Cappellari.

[2] Ita auctor s. CXC. opp. Aug. t. V. append. p. 318. n. 1. Referunt haec eadem Bollandiani ad d. XXIX. Jun. t. V. Jun. p. 459 atque inde ab aetate s. Augustini festum cathedrae in Africa prius ignotum ex mediolanensi ecclesia traductum fuisse inferunt. Sed illos ipsos l. c. consuluisse praestat, quum totum de cathedrae festivitate argumentum diligenter pertractent, allatisque monumentorum testimoniis commonstrent, cathedram Petri apostolicam esse totius ecclesiae cathedram.

Abusus.

[3] Verbum hoc, quod efficax fuit, ut Simon in Petrum converteretur, idem

aedificabo ecclesiam meam.„ Sed aeque praeclara certe sunt, quae in sacramentario ambrosiano [1] de eadem celebratione cathedrae leguntur: „Omnipotens aeterne Deus, et te laudare mirabilem Deum in sanctis tuis, in quibus glorificatus es vehementer, per quos Unigeniti tui sacrum corpus exornas, et in quibus ecclesiae tuae fundamenta constituis, quam in Patriarchis fundasti, in Prophetis praeparasti, in Apostolis condidisti: ex quibus b. Petrum Apostolorum principem, ob confessionem unigeniti Filii tui, per os eiusdem Verbi tui vocatum in apostolatum et mutato nomine confirmatum in fundamento domus tuae, coelestium claustrorum praesidem custodemque fecisti: pro cuius honore et gloria hodie haec Maiestati tuae festa persolvimus et gratiarum hostiam immolamus, per Christum etc.„ Tum haec [2] ex Missali gallo-gothico: „Deus qui hodierna die b. Petrum post te dedisti caput ecclesiae; quum te ille vere confessus sit, et ipse a te digne praelatus sit, supplices exoramus, ut qui dedisti Pastorem, ne quid de ovibus perderet, ut grex effugiat errores, eius intercessione quem perfecisti salvifices.„ Et ibidem in Praefatione: „Testis est dies hodierna, b. Petri cathedra episcopatus exposita, in qua fidei merito revelationis mysterium filium Dei confitendo, praelatus Apostolus ordinatur: in cuius confessione est fundamentum ecclesiae, nec adversus hanc petram portae inferi praevalent, nec serpens vestigium exprimit, nec triumphum mors obtinet.„ Hac igitur petra et hoc fundamento destituuntur praeter romanam reliquae ecclesiae omnes. Nequeunt ergo veram habere unitatem, quam Christus in sua ecclesia voluit atque instituit. *Liturgia.*

11. Praeter unitatem romanam nulla ecclesia vere sancta.

227. Corollarium VII. Sola romana unitas est ecclesia promissionum, ipsa sola regitur a vicario Salvatoris, ipsa sola pendet a coelorum clavigero, sola ipsa a supremo dispensatore gratiarum Dei summoque administratore divitiarum, quas in suos effundere Altissimus decrevit, ipsa sola cum illo cohaeret, per quem

efficax manet, ne Petrus umquam sive in Simonem, sive quod funestius etiam foret in Judam proditorem relabatur atque deficiat. Nihil ergo pusillis ab excessu timendum in quem tantae potestatis Petro collatae usus demigrare posset.

[1] Vide Bollandian. l. c.

[2] Ibidem.

uti per caput visibile ab invisibili capite Christo coelestes benedictiones in totum corpus defluunt, sola tandem est, quam potente sua virtute mirabiliter Dominus tuetur ac servat.

12. Romanae unitatis pastor apostolicus.

Infertur. 228. Corollarium VIII. Supremus pastor ad quem unum catholicae unitatis tutela revocatur, Petri est in apostolica ejus praerogativa successor: idem ergo est tam nomine quam re gubernator et rector ecclesiae apostolicus, ejusque particularis fixaque sedes pariter re ac nomine apostolica est. Sed ille romanus est praesul et haec est sedes romana. Est ergo romanus praesul apostolicus et romana sedes apostolica est, et tota inde velut ex capite pendens ecclesia apostolica exsistit.

13. Praeter romanam unitatem nulla ecclesia catholica.

Infertur. 229. Corollarium IX. Quemadmodum gubernatio catholicae ecclesiae spectata forma monarchica est, ita spectato subjecto cui gubernandi inest potestas romana est. Quae ergo communio non est monarchica neque romana, eadem non est [1] ecclesia catholica.

14. Praeter romanam unitatem nulla ecclesia apostolica.

Infertur. 230. Corollarium X. Sedes nulla praeter romanam apostolicos habet successores et solus antistes romanus plenam [2] apostolicam quae Petri erat principis Apostolorum potestatem successione [3] nanciscitur: nulla ergo ecclesia a romana unitate avulsa

---

[1] Hinc Georg. trapezunt. instituta demonstratione de una, sancta, catholica ecclesia, quae sit romana concludit: *ὅστις ἄρα οὐχ ἕπεται τῇ τῆς Ῥώμης ἐκκλεσίᾳ ἐξώκισται τῆς μίας, ἁγίας, καθολικῆς καὶ ἀποστολικῆς ἐκκλησίας τῷ ἀναθέματι ὑποπεσών.*

[2] Episcopi pastoresque particulares licet dici possint ac vero etiam dicantur Apostolorum successores, non succedunt tamen illis sive in plenitudine apostolicarum omnium dotum (puta infallibilitatis) sive plenae apostolicae potestatis qualis regimine universali continetur. Vide Muzzarelli. opusc. t. 21.

Potestas Petri ordinaria. [3] Hinc intelligitur recepta apud theologos distinctio, fuisse in Petro potestatem universalem ordinariam; in aliis contra Apostolis fuisse extraordinariam. Reliqui enim Apostoli fundarunt quidem et rexerunt ecclesias particulares: non fuit tamen inter Apostolos nisi unus Petrus, cui episcopus jure divino succedit plena universalique ipsius potestate insignis. Inde autem discrimen manifesto patet quod inter successorem Petri aliorumque Apostolorum successores intercedit, quodque eo spectat, ut illi Apostolis

proprie ac presse pleniorique sensu [1] est dicique apostolica potest: at vero romani antistitis vi romana unitas verissime est plenissimoque jure vocari apostolica debet.

15. Verae ecclesiae notae apud romanam unitatem.

231. Corollarium XI. Quamdiu ergo necesse est, ut ecclesia Dei quae una, sancta, catholica et apostolica est, ab invisibili capite Christo christiana dicatur et sit: tamdiu necesse est, ut eadem illa a visibili capite [2] romano praesule sit ac nominetur romana. Haec est institutae apostolicae ecclesiae facies atque imago, quam sua sibi forma constare in ecclesia eo usque Christus voluit, quousque ex ejusdem voluntate ecclesia ipsa persistet: et quaecunque communiones ab illa forma deflectunt ac deficiunt, eae apostolicam ecclesiam non continuant, etiamsi sedes haberent, quae Apostolo cuidam, secus ac constantinopolitanae contigit [3], suas origines deberent. *Infertur.*

---

succederent in episcopatu dumtaxat, ille vero succederet in episcopatu simul atque in plenitudine apostolatus. De his dignus est qui consulatur Gretser. in defens. Rob. Bellarm. t. VIII. p. 674.

[1] Insignis est Tertulliani de praescriptt. c. XX. doctrina qua ad rationem ecclesiae apostolicae duo requirit tum fidem apostolicam tum apostolicam fundationem cum successione nunquam abrupta. Quum vero apostolica fides ab ecclesiis quae immediate ab Apostolis fundatae fuerunt aliis communicata fuerit, hinc istae ex illis mediate etiam fideque spectata apostolicae sunt et dicuntur. At plenitudo totius apostolicae dignitatis citra Petrum adeoque citra communionem cum Petri sede non habetur. Quae ergo sejunctae ab illa sunt societates in communionem nominis apostolicae ecclesiae vel nullatenus veniunt vel non presse ac proprie, non plene atque perfecte. De his egregia habet Muzzarelli opusc. de secta dominante nn. 15 sqq.

[2] Futilia esse quae protestantes attulerunt, ut ostenderent, ab invisibili capite excludi caput visibile atque vicarium conspicuum commonstrat C. Pass. de praerog. b. Petr. l. I. c. 25. nn. 330 sqq. Iisdem vero convelluntur pariter quae ad idem tuendum commentum allegat Macar. vinnic. l. c. §. 176. pp. 271 sqq. Luculentam hac de re disputationem dedit *τοῖς ἐν Κρήτῃ θείοις ἀνδράσι ἱερομονάχοις τε καὶ ἱερεῦσι Γεώργιος Τραπεζούντιος* ap. Leo. Allat. t. I. pp. 536 sqq.

[3] Macarius vinnic. ep. l. c. §. 181. p. 287 inter sedes ab Apostolis fundatas refert etiam constantinopolitanam: aperto videlicet anachronismo. Ceterum de variis per orbem non citra curam operamque Petri fundatis ecclesiis egregie disserit Bonizo ep. sutrin. ap. Mai N. PP. Bib. t. VII. p. III. pp. 29 sqq. ad quae tamen em. editoris adnotatio p. 33. adiecta sapienter.

16. Sola romana unitas salutifera.

232. Corollarium XII. Sola romana unitas genuina est institutae divinitus ecclesiae continuatio, adeoque ex omnibus coetibus sola [1] quae vera sit Christi ecclesia. Sed ecclesia Christi vera eadem est sola salutifera. „Hanc igitur solam, ita Maximus [2] taurinensis episcopus, ecclesiae navem ascendit Dominus, in qua Petrus magister est constitutus dicente [3] Domino: Super hanc petram aedificabo ecclesiam meam. Quae navis in altum saeculi hujus ita natat, ut pereunte mundo omnes quos suscipit servet illaesos. Cujus figuram jam in veteri videmus testamento: sicut enim Noë arca, naufragante mundo cunctos quos susceperat incolumes reservavit; ita et Petri ecclesia conflagrante saeculo omnes quos amplectitur repraesentabit illaesos, et sicut tunc transacto diluvio ad arcam Noë columba signum pacis detulit; ita et transacto judicio ad ecclesiam Petri Christus pacis gaudium defert.„ Sed utinam reflorescceret etiam ante illud judicium pax atque ecclesiae unitas! Sed quaenam causa tempestatis ac turbae? Respondet [4] idem Maximus: „Haec est autem causa periculi: erat ibi Simon Petrus, sed erat pariter et proditor Judas. Quamvis enim illius fides fundaret naviculam, hujus tamen eam perfidia conturbabat. Tranquillitas est, ubi solus Petrus navigat, tempestas ubi Judas adjungitur.„

Maximus taurinensis.

Gelasius.

233. Absit ergo perfidia neque quae est Gelasii pontificis ad-

---

Georg. trapezunt.

[1] Ita diserte Georgius trapezuntius de una, sancta, catholica ecclesia ap. Leo. Allat. t. I. p. 550 quaestioni quaenam illa sit? respondet: *„Δῆλον ὅτι ἡ τῆς Ῥώμης. Καὶ πόθεν εἴποι τις ἂν τοῦτο γενήσεται τοῖς ζητοῦσι φάνερον; Πρῶτον μὲν ὅτι αὐτὸς ὁ Χριστὸς τῷ Πέτρῳ ἐξόχως τὰς τῆς βασιλείας τῶν οὐρανῶν ἐχαρίσατο κλεῖς, Σὺ εἶ Πέτρος... Ὅτι δὲ περὶ τῆς ῥωμαϊκῆς ἐκκλησίας ταῦτα εἴρηται τῷ σωτῆρι, δῆλον, μόνης γὰρ ταύτης οὐ κατισχύσουσιν τῇ τοῦ Χριστοῦ χάριτι αἱ πύλαι τοῦ ᾅδου, αἱ μοχθηραὶ τῶν αἱρετικῶν γλῶσσαι, αἱ λαλήσασαι εἰς τὸ τοῦ θεοῦ ὕψος ἀδικίαν*: planum est esse Romanam. Et undenam dicet nescio quis, perquirentibus id fuerit manifestum? Primum quidem quod Christus ipse Petro prae reliquis aliis regni coelestis claves elargitus est, tu es Petrus dicens... De ecclesia vero romana haec pronuntiata esse a servatore hinc patet, quod adversus eam Christi gratia non praevalebunt portae inferi, improbae haereticorum linguae, quae obloquutae sunt in divinam maiestatem iniustitiam.

[2] Maxim. taurin. s. CXIV. p. 642.

[3] Matth. XVI. 18.

[4] Ibid.

monitio [1], contingat, ut in consuetudinem antiquam corruptus ordo sive irrepat sive inductus persistat. „Si autem, pergit, hoc sacrilegum est etiam cogitare, cur non cum diligentissima observatione teneatur haec sola forma majorum, cum sit in hoc observationis tenore ineffabilis indubitataeque unitatis evidens et grande mysterium? An duae sunt ecclesiae et duo pastores? Absit. Unus est enim qui fecit utraque unum, tollens de medio inimicitiarum parietem in corpore suo. Cur ergo per Petri et Acacii nomina rursus inimica sepis intexitur, quam semel Christi crux, mors et sanguis destruxit et solvit et evertit? Non ergo dividat eos interpositum Petri et Acacii nomen, quos tanti mediatoris pretiosus sanguis univit. Postremo aequum est, ut qui alios libenter et competenter vultis subjectos, cedatis et ipsi antiquo more majoribus, ut confidenter imperare possitis minoribus vestris. Duodecim certe fuere Apostoli, paribus meritis parique dignitate suffulti: cumque omnes aequaliter spiritali luce fulgerent, unum tamen principem esse ex illis voluit Christus, eumque dispensatione mirabili in dominam gentium Romam direxit, ut in praecipua urbe vel prima primum et praecipuum dirigeret Petrum. Ibique sicut doctrinae virtute sublimis emicuit, ita sanguinis gloriosa effusione decoratus, aeterno hospitio conquiescit, praestans sedi quam ipse benedixit, ut a portis inferi numquam pro Domini promissione vincatur, omniumque sit fluctuantium tutissimus portus. In quo qui requieverit, beata et aeterna statione gaudebit: qui vero contemserit, ipse videbit qualia genera excusationum in die obtendat judicii. Me enim credo, spero, confido in Christo, quod ab ejus caritate [2] nec tribulatio, nec angustia, nec gladius, nec persequutio, nec vita nec mors unquam poterit separare. Incumbat persequutio, saeviant leges: militi Christi gloriosius [3] est mori quam vinci: fraudari praesentium commodis melius quam carere futuris.„

234. Faxit Deus, ut verbum hoc alte impressum cordi sit omnium, qui Petri nave vehuntur; quicunque vero quorumcunque ventorum turbinumque flatu ac impetu abrepti fluctuantium instar

---

[1] Adv. graec. c. IX. ap. Galland. t. X. p. 677.

[2] Rom. VIII. 37.

[3] Hanc cogitandi agendique rationem tenuisse olim in oriente plurimos, exponit oratione disertissima ad Cretenses habita Maximus Chrysoberga ap. Leo. Allat. Graec. orth. t. II. pp. 1076 sq. ubi origines progressionesque schismatis orientalis enarrat. *Maxim. Chrysoberg.*

vagentur, ad tutissimum illum salutis portum mente pacata seda-
Alexius imp. toque animorum aestu redeant, Alexii illud [1] imperatoris constantinopolitani pro sua quique ratione repetentes, ita scribentis ad Innocentii „beatitudinem, quae ejus locum in terris (en vicarium Christi in terris Alexius habet romanum episcopum) noscitur obtinere, in cujus manibus sunt omnium potestates et omnium jura regnorum... Promissione spontanea sub jurisjurandi religione christiana sumus devotione polliciti, totius christianitatis ecclesiasticum caput, romanum videlicet pontificem, Apostolorum principis Petri catholicum successorem, nos humiliter agnituros, et ad hoc ipsum orientalem ecclesiam pro viribus inducturos, si debitum nobis divina miseratio restituisset imperium, intelligentes profecto, quod accedere debeat plurimum honoris et utilitatis imperio et nomini nostro decus aeternum, si tunica Domini inconsutilis suam nostris temporibus et operibus recipiat unitatem. Et hoc quidem, ut dictum est, tam peregrinis vestris sub juramento promisimus, quam paternitati vestrae exhibere plenius praeoptamus, omnem vobis et successoribus vestris canonice substituendis devotionem per praesentes litteras promittentes, quam antecessores nostri, imperatores catholici, praedecessoribus vestris, Patribus orthodoxis, romanis pontificibus, antiquitus exhibuisse noscuntur; illud pariter promittentes quod opportunitate nobis a Domino praestita salutari, ad idem orientalem ecclesiam tam prudenter inclinabimus, quam potenter; super quo prudentiae vestrae consilio desideramus inniti.„

Digna vere christiano sapientique imperatore mens atque consilium! Quo si imbuerentur omnes universim et nominatim potestate auctoritateque insignes, renovaretur profecto ingens illud coelestium terrestriumque gaudium, quo repletus fidelium caput
Eugenius IV. et os Eugenius IV. in ea verba [2] erupit: „Laetentur coeli et exultet terra!„

Parergon.

Character veritatis stabilitae.

235. Quum summa illius doctrinae quam de summo universalis ecclesiae praeposito fides catholica tenendam praefinit, ad

---

[1] Inter epp. Innoc. III. ep. CCX. Quibus conferri merentur quae de unione ineunda disputavit Theorianus ap. Mai scriptt. vett. t. VI. pp. 387 sqq.

[2] Conc. florent. definit. ap. Hard. t. IX. p. 589.

duo capitum fastigia explicata superius revocetur, ad supremam plenioremque rei totius explanationem facere haec quaestio videtur una ne eademque sit utriusque capitis ratio ac indoles, an distincta potius et diversa?

236. Ac principio quidem perspicuum est, id convenire utrique capiti, ut inter fidei computetur articulos. Articuli fidei sunt quia ab authentico magisterio declarati propositique fuerunt, declaratum autem fuit, credenda illa esse quia revelata sunt; ideo porro cognoscuntur, quia innotuerunt revelatione superna, quae nisi mentis oculos collustrasset, numquam homines in eam sententiam descendissent, vel universalem admittendum esse praepositum, vel hanc dignitatem illi deferendam qui Petro in romana cathedra legitime succederet. Talia enim haec sunt, quae cum nativo rerum idearumque ordine ex se non cohaerent, sed hunc praetergressa supernaturali ordine comprehenduntur. *Articuli revelati.*

237. Nihilominus si semel de eorumdem revelatione constiterit, nihil complectuntur, quod notitiis propriis non praecipiatur, nihil quod congenitae mentis potentiae ac virtuti non attemperetur, nihil uno verbo quod ea superet quae rationis vi accomodata censentur. An forte vim excedit rationis propria universalis moderatoris notitia? An limites mentis praescriptos transgreditur, quod is qui Petro in romano episcopatu rite sufficitur ejusdem oeconomicam auctoritatem adipiscatur? Immo sunt haec intelligentiae pervia et prope dixerim cognata, et licet intelligendo a nobis non possent anticipari et a priori, ut ajunt, animo praecipi: praedicata tamen semel ac revelata divinitus apprime intelliguntur. *Articuli praeterrationales.*

238. Quamquam vero utrique capiti commune sit, ut inter mysteria, quaeque simpliciter superrationalia sunt, referri non debeant, sed inter praeterrationalia [1] apte recenseantur, haud tamen consequitur, nullo ea discrimine ab invicem differre. Quonam vero? Aperiam brevissime.

Hoc interest inter utrumque caput, quod primum cum certis exploratisque christianae revelationis articulis totoque doctrinarum συστήματι ac corpore ita ex sese aptum nexumque est, ut inde *1. Articulus cum analogia fidei consertus.*

[1] Cf. quae de his statuimus thes. theol. de habit. scient. inter ac fid. c. III. §. 11. thesi XIX.

validissime deducatur, neque sejungi ab eo possit, quin vacillare, fluere, dissipari omnia videantur.

2. *Articulus ab analogia fidei alienus.*

239. Alterum contra ejusmodi est, quod ad corpus atque systema quidem revelationis christianae pertinet, verum non ita illud ex sese pervadit ac penetrat, neque cum reliquis partibus ita ex sese vincitur atque cohaeret, ut vel ex iis argui necessario possit et debeat, vel consistere illae absque eo absolute nequeant. Sane systema veritatis a Christo revelatum requirit necessario et ex sese generatim primatus vim: sed ut nominatim Petrus primatum gerere debuerit non exigit, neque rursum exigit, ut idem primatus romanae cathedrae adnexus in eos propagetur omnes, qui ad eamdem uti par est eligerentur. Haec speciatim revelata esse praeclare evinces, sed haec ex sese juncta copulataque esse cum tota revelationis compage non probabis.

3. *Discrimen tractationis.*

240. Sed hinc [1] tractationis discrimen assequimur, qua primum et qua alterum caput exponi, asseri vindicarique conveniat. Ut quod posterius est enarres apteque confirmes, velis nolis ad instrumenta et testes te convertas oportet. Emolumentum nullum ex analogia fidei sive christianae revelationis, nullum ex nexu et partium cohaesione, quibus τὸ σύστημα christianae doctrinae coalescit, polliceri tibi poteris: individua illa ac personalia sunt, de quorum exsistentia a priori vel ex genericis ac specificis, ut loqui mos est, rationum momentis non constat, sed a posteriori, historicis ac positivis sive testibus sive tabulis monumentisque comprobari unice possunt. Sed fons iste rationalibus rerum tractatoribus plerumque gratissimus, qui quod ad caput posterius attinet obsignatus apparet, resignatur illico, si manum ad primum admoveris, ac ita fluit atque aquis abundat, ut copia potius et satietate fatigeris, quam inopia et egestate labores.

---

[1] De his videsis rursum quae l. c. statuimus in thes. theol.

INDEX.

PROLOGUS.

Pag.

Argumenti ratio VII
A Benettis VII
Scribendi causae VIII
Antiquitas IX
Novitas X
Effectus XI
Impedimentum XII
Praesens bellum XII
Exitus XIII
Propositio XIV

CAPUT I.

De ratione et amplitudine romanae unitatis.

I. Ecclesia catholica — appositi catholicae vis et antiquitas . 1
Irenaeus 1
Augustinus 2
Nomen catholicae . . . 2
Valesius 2
Joh. Gerard. Vossius . . 2
Ignatius 2
Smyrnensis ecclesia . . 3
Polycarpus 3
Theodoretus 3
Alexander alex. . . . 3
Augustinus 3
Symbola 3
II. Ecclesia catholica ipsa est ecclesia romanae unitatis . . 4
Cyprianus 4
Ambrosius 4
Augustinus 4
Fulgentius 4
Hormisda 4
Hieronymus 5
Theodosius jun. . . . 5
Hormisda 5
Hadrianus I. 5
Gregorius II. 5
Bruno astens. 5
Haeretici 6
Liturgia 6
III. Fides catholica est fides romana 7
Augustinus 7
IV. Romanae appositum antiquum est, essentiale, necessarium . 8
Romanae nomen antiquum . 8
Launoius 8
Schismatici 8
Ambrosius 8
Optatus 8
Augustinus 9
Prudentius 9
Cyprianus 9
V. Orientalium consensio et dissidium 9
Macarius vinnicensis . . 9

CAPUT II.

I. Romana ecclesia societas est necessaria — legalis — inaequalis 10
Indoles romanae unitatis . 10
1. Societas est necessaria . . 11
Cyprianus 11
Hieronymus 11
2. Societas legalis 11
Cyprianus 12

Pag.
3. Societas inaequalis . . . 13
Gelasius 13
Felix 14
Cyprianus 14
Gregorius naz. 14
II. Ecclesia romana societas est unitatis visibilis 14
Nicephorus 14
Cyprianus 15
Augustinus 15
Bernardus 15
III. Romana unitas est societas supernaturalis — spiritalis — salutifera 16
1. Societas supernaturalis . . 16
Scripturae 16
2. Societas spiritalis . . . 16
Leo Magnus 16
Scripturae 16
3. Societas salutis 18
Augustinus 18
IV. Romana visibilis unitas sociali fide caritateque continetur . 18
Actus sociales 18
Honestus societatis finis . 18
Socialis fides et caritas . 19
Irenaeus 19
Tertullianus 19
V. Romana unitas ipsa est ἐν ἀτόμῳ vera Christi ecclesia . . . 20
Infertur 20
Cyprianus 20
VI. Orientalium consensio et dissidium 21
Macarius vinnicensis . . 21
VII. Romana unitas est societas juris positivi 21
Societas juris positivi . . 21
VIII. Romana unitas est societas juris naturalis hypothetici . 22
1. Habitus juris naturalis ad jus ecclesiasticum 22
2. Jus naturae absolutum . . 22
3. Jus naturae hypotheticum . 22
4. Juris reductio 22
Ecclesia non est juris absoluti positive 22
5. Societas juris naturalis absoluti negative 23
Pag.
6. Usus juris naturalis hypothetici 23
7. Officia inde sequentia . . 23
Macarius vinnicensis . . 23
IX. Romana unitas aliena est a democratia 24
Infertur 24
Distinctio classium . . . 24
Eusebius 24
X. Romana unitas a potestate civili neque regitur neque avellitur 25
Infertur 25
Rerum natura 25
Societas sacra exigit naturalem 25
Suares 25
XI. Humana societas jure naturae absoluto religiosa, hypothetico catholico-romana 26
Religionis publicae necessitas 26
Historia 27
Officii tituli 27
Suares 27
Subditorum fides — obedientia — juramentum . . 28
Thom. Morus 28
XII. Officia potestatis civilis erga romanam unitatem, mutuus utriusque societatis habitus . 29
1. Respublica christiano-romana 29
2. Officium christiani principis . 29
Quousque pateat . . . 29
S. Thomas 29
Suares 29
Martinus Becanus . . . 30
Augustinus 30
Doctrinae capita . . . 30
Agapitus 31
3. Libertas religionis . . . 31
Tolerantia cultuum . . . 31
Fortitudo apostolica . . 32
Augustinus 32
Ambrosius 32
Carolus M. 33
Ambrosius 33
Theodoricus 33
Chrysostomus 33
Gregorius naz. 34
Maldonatus 35

Pag.
Taparelli 36
4. Discrimen potestatum . . 36
5. Copulatio utriusque societatis 37
Necessitas ac utilitas . . 38
Gregorius XVI. 39
6. Societatis romanae erga civilem officia 39
Societatis provectio . . 39
Obediendum 40
Hieronymus 40
Judas galilaeus . . . 40
7. Copulationis exemplar ὁ θεάνθρωπος 41
Licentia religiosa . . . 41
Errores οἰκονομικοὶ et πολιτικοί 42
XIII. Romana unitas bonis aeternis consulit, temporalibus destitui nequit 43
Finis 43
Media 43
Suares 43
Rei natura 44
XIV. Romanae unitatis subjectum non meri sunt spiritus . . 44
1. Verborum confusio . . . 44
2. Jannonius 45
3. Beveregius 45
In Ecclesia imperium . . 45
Societatis provectio . . 45
Leo M. 46
Augustinus 46
Concilium Moguntin. . . 46
Leo M. 46
4. Subjectum obnoxium homo . 47
Suares 47
S. Thomas 47
Civilis potestatis origo . 47
Ejusdem extensio . . . 48
Triplex gubernatio . . 48
5. Discrimen utriusque potestatis 48
6. Administratio cultus . . . 48
Ecclesiae corpus . . . 49
Scripturae 49
Praepostera 49
Suares 49
Lex civilis 49
XV. Romanae potestatis effectus non sunt mere aeterni . . 50
Potestas ecclesiae suos in terris quoque effectus habet 50
Scripturae 50
Traditio 51
Poenitentia publica . . 51
XVI. Romanae unitatis de civili societate cura 51
1. Obedientia 51
Gregorius naz. 52
2. Fidelium preces 52
Paulus Apostolus . . . 52
Jeremias 53
Historia 54
Tertullianus 54
3. Morum probitas 54
4. Religio 54
5. Obsequium 54
Paulus 55
Petrus 55
XVII. Romanae unitatis vincula externa solvi ac deseri citra ruinam nequeunt 56
Externa et publica subjectio 56
Isaias 56
Clemens romanus . . . 56

CAPUT III.

De romanae unitatis principio.

I. Singularium ecclesiarum unitas ex episcopis singularibus . 57
1. Episcopi vis 57
Ignatius M. 58
2. Extra unitatem episcopi nulla salus 58
3. Unitatis centrum episcopus . 59
Irenaeus 59
Cyprianus 60
Felicissimi fraudes . . . 60
Fortunatus pseudoepiscopus 60
Novatiana factio . . . 61
Cornelius P. 61
Romani confessores . . 61
II. Necessitas unitatis episcoporum et ecclesiarum singularium . 62
Cyprianus 62
1. Mutua episcoporum et plebium conjunctio 62
2. Adhaerendum catholicae unita-

Pag.
tis episcopis extra quam sancti nihil et pii 63
Novatiani invasio . . . 63
Cornelius legitimus . . 63
3. Episcopus catholicus nullus extra communionis vinculum . 64
Cyprianus 64
4. Episcoporum conspiratio abesse ab ecclesia catholica nequit 64
5. Extra catholicam unitatem illegitimi et schismatici . . 65
Tertullianus 65
Optatus milevitanus . . 66
Augustinus 67
6. Probatio episcopatus legitimi 67
Donatistarum persuasio . 67
7. Communionis tessera . . 67
III. Episcoporum ecclesiarumque particularium omnium unitas e romano episcopo romanaque ecclesia 68
1. Pastorum gregumque multitudo et unitas 68
Augustinus 68
Anastasius Sinaita . . . 68
Theodoretus 69
Ambrosius 70
Hilarius pictaviensis . . 70
2. Romanus episcopus unitatis principium 70
Ecclesiae caput . . . 70
Leo M. 70
Ambrosius 71
Fulgentius 71
Bruno astensis 71
Synodus chalcedonensis . 72
Synodus ephesina . . . 73
Antiqua Orientis cum Occidente conspiratio . . 73
3. Romanus praesul unitatis fons 73
Africani episcopi . . . 73
Innocentius I. 74
Episcopi Galliae . . . 75
4. Episcopatus romanus origo est et exordium totius episcopatus catholici 75
Traditio romana . . . 75
Siricius 75
Innocentius I. 75
Traditio Galliae . . . 75
Caesarius 75
Traditio Africae . . . 76
Ferrandus diaconus . . 76
5. Episcopi romani exsortes tituli 76
Pater Patrum 76
Orientales episcopi . . 76
Episcopi africani . . . 76
Pastor pastorum . . . 77
Orientales 77
Occidentales 77
Ecclesia romana omnium matrix et mater . . . 77
6. Romani episcopi omnibus praesunt 77
Isidorus hispalensis . . 77
7. Romani episcopi principatus 78
Lotharius imperator . . 78
Augustinus 78
IV. Necessitas communionis cum romanae ecclesiae episcopo . 78
Infertur 79
Confirmatur 79
Methodus probandi ecclesiam catholicam 79
1. Methodus Irenaei . . . 79
Traditio apostolica vi successionis episcoporum . 80
Consensio omnium cum praedicatione romana . . 80
Romana successio . . . 80
Ecclesia principalis . . 81
Argumenti vim fatetur Nectarius schismaticus . . 82
Item Salmasius protestans . 83
Fatentur gallicani . . . 83
2. Methodus Tertulliani . . 84
Excludit Scripturarum examen 84
Exigit examen factorum . 85
Revocat rem ad ecclesias apostolicas 85
Consensio cum ecclesiis apostolicis 85
Praescriptio contra haereticos 86
Veritatis tessera . . . 86
Romanae prae aliis ecclesiis apostolicis praerogativa . 86
Ephraem syrus 87

Pag.
Isaac armenus 87
Basilius 87
Augustinus 88
Pelagius I. 88
Pelagius II. 88
Sola ecclesia romana superstes apostolica . . . 89
Concilium VIII. . . . 89
Judicium criticum . . . 90
3. Methodus Cypriani . . . 91
Diaboli fraudes . . . 91
Origo mali 92
Remedium facile . . . 92
Cathedra romana . . . 92
Summa 92
4. Methodus Optati milevitani . 93
Examen factorum . . . 93
Quaerenda cathedra radix . 93
Petri cathedra episcopalis in urbe Roma . . . 94
Petri in romana cathedra successores 94
5. Methodus Ambrosii . . . 95
Verae fidei episcopus quaeratur 95
Conveniendum cum sede romana 95
Ubi Petrus, ibi ecclesia . 95
Necessaria Petri fides ad salutem 96
In omnibus sequere romanam ecclesiam 96
6. Methodus Hieronymi . . . 96
Compendiosa veritatis norma 96
Ea non est Scripturarum lectio 97
Ea est apostolico — romana fides 97
7. Methodus Augustini . . . 99
Romanorum series Pontificum 99
Catholicus quisquis romani Pontificis communione fruitur 99
Romani episcopi magisterio auctoritatique resistere arrogantiae impietatisque indicium 99
Quae vincula in ecclesia romano-catholica hominem retinent 100

Pag.
8. Methodus sequiorum . . . 101
Beda 101
Bernardus 101
Petrus cellensis . . . 101
9. Conspirant Orientales . . 102
Epiphanius 102
Praesidium veritatis in romana cathedra . . . 102
Cyrillus 102
Tuta norma judicium romanum 102
Theodoretus 102
Sententia romana fidei paradigma 103
Concilium chalcedonense . 103
Synodi aquileiensis et ephesina 104
10. Necessariae communionis romanae tesserae tam apud orientales quam apud occidentales 104
Litterae formatae . . . 104
Tertullianus 105
Cyprianus 105
Optatus 105
Augustinus 105
Athanasius 105
Concilium VIII. 105
11. Sectarum suffragium . . 106
Fortunatus et Felicianus . 107
Cypriani labes 107
Meletiani 108
Fortunius tubursicensis . 108
Cresconius donatista . . 109
V. Divinus romani episcopi primatus 109
Praestitutae traditionis causa 109
Petrus romanae fundator ecclesiae 110
Romanus Petri episcopatus 110
Continui Petri successores . 110
Facta dogmatica . . . 110
Petri primatus perpetuus . 110
Petri successores insignes Petri primatu . . . 111
Petrus jugiter vivit . . 112
Petrus Romae 112
Successionis conditio . . 112
Primatus romanus principium romanae unitatis . 113
Optatus cum Paciano . . 113

Pag.
Bossuet 113
Augustinus 114

CAPUT IV.

De romanae unitatis oeconomia.

I. Unitas episcopatus episcoporum 114
Cyprianus 114
Primatus romani finis . . 115
Episcopi particulares . . 115
Ἀνακεφαλαίωσις 116
II. Unitas cathedrae doctorum . 116
Optatus 116
Doctores particulares . . 118
Episcoporum doctorumque vinculum 118
Episcopatus et episcopi
Doctoratus et doctores . 119
Pastoratus et pastores
Potestas ordinis et regiminis 119
Leo M. 119
Cyprianus 119
Johannes VIII. 120
III. Unitas regiminis pastorum . 120
Leo M. 120
Pastores multi 120
Vinculum 120
Leo M. 120
IV. Unitas ovilis gregum . . . 121
Externa internaque unitas . 121
Unus pastor supremus et universalis 121
Augustinus 121
Hincmarus 121
Ss. litterae 121
Unus ovium omnium grex . 122
Cyprianus 122
Augustinus 122
Bernardus 122
V. Unitas obedientiae necessariae ubique et semper . . . 123
Hieronymus 123
Augustinus 123
Maximus M. 123
Ignatius constantinopolitanus 123
Gregorius nyssenus . . 124
Chrysostomus 124
Damascenus 124
VI. Doctrinae capita secundum ecclesiae normam tenenda . . 124
Pag.
1. Capita dogmatica 124
Analysis theologica . . 125
Concilia 127
Concilium lateranense . . 127
Concilium lugdunense . . 127
Concilium florentinum . . 127
Concilium tridentinum . . 128
Pontifices 128
Decretum Gelasii . . . 129
Hormisdae formula . . 129
Formula Nicolai I. . . 130
Formula Leonis IX. . . 130
Fidei formula Pii IV. . . 131
Professio fidei a Gregorio XIII. exhibita . . . 131
Repetita ab Urbano VIII. et Benedicto XIV. . . . 131
2. Errores rejecti 132
A Stephano I. 132
A Nicolao I. 132
A Joanne XXII. . . . 132
A Martino V. 133
A concilio constantiensi et Martino V. 133
Praecepta a Martino V. . 134
Rejecta a Leone X. . . 134
Constitutio Pii VI. . . . 134
VII. Summa rei 135
Hierarchia 135
Supremus hierarcha . . 136
Leo M. 136
Leo M. et Pius IX. . . 136
VIII. De Orientalium a romana unitate dissensione . . . 137
Macarius vinnicensis . . 137
Consensionis capita . . 137
Capita dissensionis . . . 137
Reiiciuntur Scriptura ac Traditione 137
1. Doctrina evangeliorum . . 138
Universim 138
Matthaei XVI. 138
Lucae XXII. 139
Joannis XXI. 139
2. Doctrina actorum apostolicorum 139
Confertur cum Christo Petrus 140
Infertur veritatis per Scripturas revelatio . . . 140

Pag.
3. Commentarii Patrum . . 140
a) De Matthaei XVI. 18. . . 140
Arianis anteriores . . . 140
Arianis posteriores . . 141
Epiphanius 141
Basilius 141
Gregorius nazianzenus . . 141
Joannes Chrysostomus . . 141
Cyrillus alexandrinus . . 141
Nomen Petri a petra . . 142
Chrysostomus 142
Eulogius 142
Hilarius pictaviensis . . 142
Hieronymus 142
Ambrosius 142
Ambrosiaster 142
Augustinus 143
Pacianus barcinonensis . 143
Leo M. 143
Confessio Petri praerogativae suae conditio . . 143
Synodi 143
b) De Matthaei XVI. 19. . . 143
Firmilianus 143
Origenes 143
Chrysostomus 145
Gregorius nazianzenus . . 145
Basilius M. 146
Symeon metaphrastes . . 146
Procopius 146
Photius 146
Tertullianus 146
Cyprianus 146
Optatus 146
Coelestinus 146
Leo M. 147
Dissidiorum causae . . 147
Gelasius I. 148
Concilii nicaeni auctoritas . 148
Vetustae schismatis radices 149
Gregorius M. 149
Gregorius VII. 149
Ad ss. Patres appellat . . 150
Ad concilia provocat . . 150
Decessorum suffragio utitur 150
Innocentius III. 151
Primum et secundum ecclesiae fundamentum . . 151
Hilarius 153
Ambrosius 153

Pag.
Augustinus 153
Petrus ecclesiae figura . . 153
Variae interpretationes conciliantur 153
Pseudo-Augustinus . . . 154
Maximus taurinensis . . 154
Beda 154
Rhabanus Maurus . . . 154
Petrus Damian. 155
Lanfrancus 155
Christiani nominis persuasio de successione romanorum episcoporum in plenam Petri potestatem . . . 155
Infertur iudicium de litterali verborum sensu . . . 156
Difficultati occurritur . . 156
Montanistarum ac Novatianorum haeresis . . . 157
Sensus verborum mediatus et typicus 157
Persona iuridica . . . 157
Sensus verborum iuridicus idemque mediatus . . 157
c) Patres de Joannis XXI. 15 sqq. 158
Ad unum Petrum spectant . 158
Totum ovile Petro creditur 158
Chrysostomus 158
Fratrum praefectura Petro confertur 159
Theophylactus 159
Origenes 159
Episcopi orientales . . 159
Episcopi romano praesuli subiecti 159
Stephanus dorensis . . . 159
Romana sedes praeposita, summa, principalis . . 160
Petrus pastor ecclesiae catholicae 160
Theophanes cerameus . . 161
Joannis XXI. implementum promissionis apud Matth. XVI. 162
Gregorius M. 162
Petrus cunctae ecclesiae praelatus 162
Maximus taurinensis . . 162
Communio nominis a Christo indulta Petro . . . 163

Pag.
Arator 163
Bernardus 163
Grex unus uni Petro creditur 163
Petrus pastor pastorum . 164
Anselmus 164
Princeps tantorum principum Petrus 164
Gelasius 164
Sedis apostolicae romanae est moderamen totius dominici ovilis 164
Mandatum Domini Lucae XXII. 164
Totius ovilis cura eaque principalis delegata Petro . 164
Leo 164
Totius ecclesiae princeps Petrus 165
Voluntas Christi apud Luc. XXII. 165
Gregorius M. 165
Hadrianus I. 165
Petri sedes per totum orbem tenet primatum . . . 165
Petrus pascit ecclesiam . 165
Bonifacius I. 165
Pastor dominicarum ovium perpetuus 165
Infertur auctoritate traditionis unanimis romani Pontificis praerogativa . . 165
Nomenclatura Petri eiusque successorum 166
Joannes damascenus . . 168
Christianae antiquitatis sententia 168
4. Exceptio petita ex Apostolorum aequalitate . . . 169
Ambrosius 169
Petrus Christi in terris vicarius 170
Perfectiores perfectior gubernat 170
Augustinus 170
In Petro praeeminet Apostolorum primatus . . . 170
Principatus Petri cuilibet episcopatui praeferendus . 171
Leo M. 171
Distat cathedrarum gratia . 171

Pag.
A Petro capite dona Christi in corpus dimanant . . 171
Asterius 171
Tota mundi concretio Petro innititur 172
Expenditur I. Cor. III. 11. . 172
Petri remuneratio . . . 174
Petro commendatur universalis per orbem ecclesia . 175
5. Photiana perturbatio . . . 175
Eulogius alexandrinus . . 175
Petri lapsus 176
Photii perversio . . . 176
Reiiciuntur recapitulatione praestitutae doctrinae . 176
Leo M. 176
Quo sensu omnibus Apostolis tradita in Petro potestas 176
Bifariam testimonia ss. litterarum ad potestatis collationem pertinentia patent 177
Apostolicae auctoritatis aequalitas 177
Petri eminentia 177
Fidelium inde officium . . 177
Potestas primatus eiusque exercitium 177
Ecclesiae stadia 177
Dionysius 177
Nulla aequalitas inter particulares episcopos romanumque pontificem . . 178
Distinctio ordinis et iurisdictionis 178
Primatus romanus continetur auctoritate et jurisdictione 179
Huiusce institutionis finis . 179
Gregorius protosyncellus . 179
Niceta 179
Georg. trapezunt. . . . 179
Solvitur petita ex Ephes. IV. 12 sqq. exceptio . . . 179
6. Consectaria de ecclesiae regimine 180
Regimen ecclesiae non est politicum 180
Non est democraticum . . 180
Matth. XVIII. expenditur . 180

Pag.
Non aristocratico — episcopale 181
Non aristocratico — synodicum 181
7. Vera ecclesiastici regiminis forma 182
Quam unitatem Christus voluerit 182
Unitatis catholicae regimen singulare 183
8. Vera ecclesiastici regiminis forma analogia fidei asseritur 183
Vis analogiae fidei . . . 184
Facies sectarum . . . 184
Inefficacia unitatis media . 185
Facies romanae unitatis . 185
Principium unitatis externum 186
Illius immutabilitas . . . 186
Maurus Cappellari (Gregor. XVI.) 186
Adiuncta 187
Numen supernum . . . 187
Principium coeleste internum 188
9. Romanae unitatis moderator μόναρχος 188
Infertur 188
Maurus Cappellari . . . 188
10. Praeter unitatem romanam ecclesia nulla vere una . . 188
Solemnitas cathedrae Petri 188
Pseudo-Augustinus . . . 188
Liturgia 189
11. Praeter unitatem romanam nulla ecclesia vere sancta . 189
12. Romanae unitatis pastor apostolicus 190
Infertur 190
13. Praeter romanam unitatem nulla ecclesia catholica . . 190
Infertur 190
14. Praeter romanam unitatem nulla ecclesia apostolica . . 190
Infertur 190
Potestas Petri ordinaria . 190
15. Verae ecclesiae notae apud romanam unitatem . . . 191
Infertur 191
Sola romana unitas salutifera 192
Maximus taurinensis . . 192
Georg. trapezunt. . . . 192
Maximus Chrysoberga . . 193
Alexius 194
Eugenius IV. 194
Parergon 194
Character unitatis stabilitae . 194
Articuli revelati . . . 195
Articulus cum analogia fidei consertus 195
Articulus ab analogia fidei alienus 196
Tractationis discrimen . . 196

Scribe:

Pag. 4. Qui, inquit, loco Qui inquit.
„ 9. in adnotatione: εἶναι loco ειναι.
„ 14. adnotat. 5. suppeditatem. loco suppeditatim.
„ 18. n. 23. loco n. 22. et ita porro numeri agendi.
„ 47. ad marginem: civilis loco civiles.

212.04
Sch 69
31233

AUTHOR SCHRADER, CLEMENS

TITLE De Unitate Romana Lib. I.

DATE LOANED	BORROWER'S NAME
	Mara
	P. Pakeny
	STORAGE - C

31233